

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
·LIBRARIES·
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES·SCIENTIA·VERITAS
1817

IOSEPHI SCALIGERI

POEMATA OMNIA

EX MUSEIO PETRI SCRIVERII.

EDITIO ALTERA.

BEROLINI.
VERLAG VON A. BATH.
(MITTLERS SORTIMENTSBUCHHANDLUNG.)
MDCCCLXIV.

SILVA VARIORUM CARMINUM.

1. *Epithalamium Nobilissimorum Gasparis ab Eusum Niewenorti Domini, et Annae Iani Dousae Domini a Noortwyck filiae.*

Ios. Scaliger Nobiliss. Iano Dousae a Noortwyck.

Quod damus tibi nec bonum,
Dousa maxime, nec catum
Carmen, hoc pietas malo
Atque amor tuus extudit
Qualecunque poetae.
Si quid esset ei tamen
Mentis, ille negotia
Nec senex iuvenalia
Debuit, neque tangere
Nuptialia caelebs.

Epithalamium.

Quis sacram subitus mihi
Ardor incutiens facem
Mentis otia nubila
Igne sollicitat novo,
Desidisque Camenae
Rumpit insinuans moras?
Quae suborta perennibus
Thespii scatebris specus
Blanda murmüra tinnulo
Vibrat aura susurro?
Iam diu placido mea

Mens remissa silentio
Odit enthea carmina,
Flammeaeque poetices
Abdicavit amorem.
Iam diu emeritum sacer
Barbiton paries habet.
Cur ad illecebras vocor,
Atque gaudia ludicrae
Obsoleta iuventae?
Sensimus. solito magis
Vultus enituit poli.
Hic Deus, Deus interest.
Non enim temere novo
Ridet aethra lepore.
Ecce Cypria praepetum
Mater alma Cupidinum,
Arduum meditans iter,
Dirigit loca passeres
Ad Batava iugales.
Mille persequitur Deam
Alitum comitum chorus.
Arcus instruit his manum;
Spicula ex humero sonant,
Pendulaeque pharetrae.
Unus haud labor omnibus.
Huic Deae biiuges aves
Cura tradita comere.
Iste frena iugalium,
Ille flagra ministrat.
Rasiles alius rotas
Et curule ebur essedi
Sistit imperiis herae.
Nutibus Dominae imminet,
Sancta iussa facessit.
Pone Hamadryadum cohors
Cingit obsequio Deam,
Et sororia dexteras

Triga triplice conserens
Trina Gratia nexu.
Ipsa conspicuum suae
Sedis alta premens ebur,
Alitum increpitat moras,
Totaque in biiuges suos
Prona verbere pendet.
Oris ambrosii decus
Mollis umbrat amaracus;
Frondeoque procul tholo
Solis aestiferum iubar
Crispa pampinus arcet.
Balsami coma murrea
Halat Assyrias opes.
Phaenomerida gemmeo
Dente fibula colligens
Crura nuda relinquit.
Huic tener comes assidens
Lora florea curruum
Tractat, Uraniae genus,
Praeses auspicii boni,
Coniugator amantum.
Ora cui iuvenalia
Igneus pudor inficit;
Prima vesticipes genas
Flore laneolo pilans
Signat aurea pubes.
Hymenille volucrium
Dux amoene Cupidinum,
Optimae Veneris comes,
Cui iugalia vincula,
Cuique foedera curae:
Tanta, dic age, quo tibi
Pompa ducitur agminis?
Diva quid genitrix parat?
Quove militibus parat
Pusionibus arma?

Nam tibi licet omnia
  Scire, quo sine nil Venus
  Audet, irrita sunt patrum
  Vota, nil fidei valent
  Sacra pacta maritae.
Cui capis leve flammeum?
  Pineam faculam quatis?
  Quae puella tot ignibus,
  Quis tot ah iuvenis meret
  Apparatibus uri?
Quod par illud amantium,
  Quos potens Veneris suis
  Destinat puer ictibus?
  Quis perire dicatus est?
  Qua perire sagitta?
Sed quid obvia quaerimus?
  Ecce quod petitur, palam est.
  Agmen illico dum loquor
  Strigat, et Veneris rotas
  Pompa sistit eburnas.
Iamque Dousiadae domum
  Hospitum chorus obsidet;
  Deque plebe Cupidinum
  Penniger, monitu Deae,
  Pulsat ostia Cursor.
Panditur domus. influit
  Vulgus omne. silentium
  Collocata tapetibus
  Diva nutibus imperat.
  Infit. ore favetur.
Dousii generis decus,
  Clara quem celebrem facit
  Inclitis atavis domus,
  Clarior studiis tamen,
  Artibusque Minervae;
Non mihi libet aedibus
  Intulisse pedem tuis,

Ni mihi comes adforet
Iste legitimus boni
Copulator amoris:
Qui tuum sine liberis
Ne foret, metuens, genus,
Floridam tibi virginem
Iure connubii dedit,
Coniugemque dicavit:
Quae bonae sobolis ferax,
Qualis aut Cerealibus
Spica adulta novalibus,
Aut Achaemeniis virens
Citrus ardua campis,
Coniugem toties patrem
Fecit. Huic ego, cum tibi
Virgo traditur in manum,
Nuptialiaque omina
Iuno Cinxia sancit,
Mater haud semel, inquii,
Sed puerpera saepius
Caeteras uti moribus
Vincis, innumera quoque
Vince prole maritas.
Dicta comprobat exitus.
Vix capit sobolem domus.
Iam nequit digitis suis
Liberos neque dextera
Nec sinistra putare:
In quibus, velut integer[,]
Divitis decus hortuli,
Quem nec Olenium pecus
Proterit, neque carpitur
Ungue flosculus ullo,
Anna moribus enitet
Educata piissime
Matris in gremio suae,
Et pudicitiam suo

Eius exprimit ore.
Hanc nefas sine compare
Solitaria caelibum
More tempora ducere,
Nec tori bona, nec mea
Nosse praemia natos.
Non eis tibi, non eis
Nata filia legibus,
Ut domi sterilis sedens
Carperetur inutiles
Virgo nubilis annos.
Quaere qui propria tuum
Fulciat serie genus,
Te nepotibus augeat
Seque sufficiat tibi,
Te perire vetando.
En paratus adest tibi,
Vota qui superet tua
Patrium decorans solum
Gaspar, et Frisios suos
Flore gentis avitae:
Qualis ad vitream Thetin
Venit Aeacides suam,
Nupta qua cupido data est
Nocte lucibus omnibus
Semper anteferenda,
Prodeat. neque enim mora.
Coniugalia suavibus
Pangat oscula saviis,
Brachiisque tenacibus
Colla vinciat Annae.
Verba ne careant fide,
Ocius, pueri, huc age
Convenite Cupidines.
Ite, spicula stringite,
Expedite pharetras.
Qua fidelia cuspide

Corda figitis intima,
Sauciate par hoc novum.
Anna Gaspare ferveat.
Gaspar aestuet Anna.
Ambo compare vulnere
Saucios tibi tradidi.
Functa munere sum meo.
Ergo fungere tu tuo,
Hymenille, vicissim.
Fac sacra coeant fide
Pectora unanimi simul
Temperata coagulo;
Quae dies querimoniis
Nulla dividat olim.
Quod sit omine cum bono,
Omne coniugibus bonum
Imprecare perenniter.
A penatibus omnia
Deprecare nefasta.
Pestis absit, et orbitas.
Gaudeat domus annua
Prole. frugiferas opes
Rure fundat adorea
Dite copia cornu.
Eia, quis sonus hic? ita est,
In modum tibi Virgines
Nuptialia carmina
Concinunt. tibi noctifer
Linquit Hesperus Oetam.
Impulit thalami fores
Cardo stridulus aeneas:
Coniuges sua iam vocat
Hora. iam veniant. toro
Collocentur eburno.
Blanda praelia conserant.
Implicantia brachia
Nulla vis ederae tenax

Vincat, oscula conchulae,
Murmurilla columbae.
Anno 1600 III Kal. Iunii Iuliani, feria sexta.

2. *In puerperium Annae Dousicae.*

Casta viro natum, patri dedit Anna nepotem.
Cernat utroque senex cum seniore senem.
Anno 1601 VI Kal. Octob. Iuliani.

3. *Genethliacon Aemilioli, Pauli Melissi Poetae Laureati, Fil.*

Unde me bifori sono
Festa laetitiae comes
Lotos Asia perstrepit?
Cui Deorum adolet meus
Tura odora Melissus?
Cur adest Genius gerens
Luteum pede socculum?
Unde cum patera meri
Liba adorea sustinet
Ara cespite vivo?
Audiere Dei preces;
Et locum pietas habet:
Vota Iuppiter audiit.
Nempe sunt Superum sacri
Iusta cura Poetae.
Nam, Melisse, puerperae
Filium Aemilium tibi
Venter Aemiliae edidit,
Quam toro propriam tibi
Sancta Iuno dicavit.
Ne tuum sine liberis
Nomen occiduae petens
Noctis atra silentia
Luridae Stygis oblitum
Obsolesceret undis.
Iam Melissiades tibi

Porrigat teneras manus.
Iam nutritia primulum
Matris ubera parvulus
Sugat ore novello.
Lacteamque papillulam
Rictibus pueriliter
Semihiantibus appetat:
Nunc repellat ut abnuens,
Proximusque neganti.
Inde blaesula garrulus
Verba semiloquo sono
Tertiata fritinniens
Det faceta parentibus
Multa millia lusus.
Mox adulta virilibus
Membra roboret artubus;
Qualis in nitidum aera
Ramulos virides novo
Vere subiicit arbos.
Cresce Phoebicolae puer
Vatis aureolum genus:
Cresce mustule pupule,
Aemili, Aemiliae puer
Matris aurea proles.
Ecce lilia cum rosis
Bacchicasque ederas tibi
Rupis incola Thespiae,
Sutilesque novo parat
Flore Musa corollas.
Maior at tibi debita est,
Teque nobilior manet
Texta Calliopes manu,
Quae sacram tibi laurea
Umbret inclita frontem:
Cum canes veterum memor
Facta fortia Principum,
Quos Nicrus dominos suos,

Alma quos columen suum
Heidelberga salutat.
Fallor? an novus emicat
Matris e gremio suae
Daedalae fidis arbiter?
Et Melissiaden nova
Comit infula vatem?
Prodeas opifex soni,
Orpheos liquidos modos,
Atque Arioniae lyrae
Plectra flexanimo fidis
Provocantis honore.
Nec tibi numeris sacer
Certet innumeris olor
Dircaeae fidicen lyrae:
Nec tibi Venusi Appuli
Comparetur alumnus.
Cede Graiugenum cohors;
Cede Romulidum manus,
Quotquot Aonio specu
Limpido trepidans pede
Format unda Poetas.
Nescio quid amabili
Matris Aemiliae e sinu
Maius exoritur fide;
Fama quod stupeat vetus
Quodque postuma laudet.
Vos, Deum genus, optimo
Iure plaudite Principes:
Iste sidereus Puer
Vestra carmine masculo
Planget inclita facta. [*panget?*]
Vos Poetae, hominum decus,
Fausta dicite pupulo:
Ille prodigus eloqui
Vestra fluminibus sui
Oris ora rigabit.

Omnis ocius huc sua
  Vota contribuat tibi,
  Qui tuum thiasum colit,
  Qui, Melisse, sititor est
  Hippocrenidos undae.
Ambo contribuant suum
  Carmen, inque vicem sibi
  Serta mutua comparent
  Filio celebris parens,
  Filiusque parenti.
Tuque, quae semel edita
  Prole mater es unius,
  Mater alite cum bona
  Vatis esto nec unius,
  Nec parente minoris.

4. *In tabellam depictae Dominae.*

Cum dominam nostrae mentis memor aura retractat,
  Praesenti absentem parva tabella refert.
Cum mentem artificis, cum miror imaginis umbram,
  Illi hera par, vel par illa videtur herae.
Denique quodcunque est; genius certissimus artis
  Transformat sensus in sua signa meos.
Miraris, si quando mihi domina imperat absens?
  Imperat haec etiam muta tabella mihi.

5. *Ex Italico Petrarchae.*

Lux aderat qua Sol ferrugine conditus atra
  Testatus Domini est funera acerba sui,
Qua perii: neque sub casses dilapsus, Aella,
  Sensi, luminibus captus, Aella, tuis.
Nec mentem adieci bello, securus abibam.
  Illa elementa mei prima fuere mali.
Cum mihi pacifico saevissimus hostis, inermi
  Armiger, imbelli bellicus instat Amor;
Perque oculos cordi insinuat grassator apertos;
  Qui modo sunt lacrimis ianua trita meis.

O male victorem! quod nos adgressus inermes,
  Quod tua non arcu reppulit arma suo.

6. *In Pulicem Catharinae des Roches, elegantissimae poetriae.*

Pulicelle niger, nigelle Pulex,
Incitatior haedulis petulcis,
Delicatior hinnulis tenellis,
Docti passere nequior Catulli,
Stellae blandior albula columba;
Qua te prosequar aurea camena?
Quo te nomine praedicem, o beate
Pulex pumile, pumilille Pulex?
An quod, cum libet os meae puellae
Tuo purpureo ore suaviaris:
Mihi, cum libet, os meae puellae
Meo non licet ore suaviari?
An quod cum subiit cibi voluptas,
Non in quadriviis, neque angiportis
Plebeos avidus cibos liguris,
Sed in lacteolis latens papillis,
Tingens virgineo cruore rostrum,
Plenus nectaris et satur recedis:
Mox circumsiliens modo huc modo illuc,
Meras delicias, meros amores,
Ludis ebrius in sinu puellae?
Anne quod Veneris satelles audis,
Vindex falsidicae malaeque linguae,
Cum periura Deos puella laesit,
Atque ulciscere saucios amores,
Feris morsibus appetens lacertos?
Illa in insidiis morata, soli
Vindictae imminet, ac favens dolori,
Suspensa meditatur ungue mortem: [*suspenso?*]
Tu cessim fugis, et fugis recessim;
Ac subsultibus hinc et hinc citatis
Vibras cruscula, et improbae puellae

Eludis digiti impetentis ictum:
Ut campis equa trima ludit olim
Motis aera calcibus lacessens.
An quod legibus omnibus solutus,
Puellaria membra pervagaris,
Usque Cypridis ad beata regna,
Impune insinuans amoris almi
Secretis adytis, sacrumque limen
Insistens, quod ab omnibus profanis
Et tangi scelus, et nefas videri?
Hic tu ianitor excubas, et ipsam
Aureae Veneris tueris aram.
Quam sancte tibi tradidit tuendam
Et ridens Venus, et puer Cupido.
Tene propterea, o venuste Pulex,
Tene prosequar aurea camena?
Tene hoc nomine praedicem beatum,
Pulicelle niger, nigelle Pulex?
Non: sed quod nimio tuo lepore
Tot solus facis et paris Poetas,
Quorum cantibus, aureaeque linguae
Vena divite, versibus canoris,
Immortalis eris, diuque vives.
Nam dum, pumile pumilille Pulex,
Haeres pendulus in sinu puellae
Novus Pegasus in nova Hippocrene,
E morsu tuo, ut ungula ex equina,
Fluxerunt latices Poetici, dein
Tot sunt carmina nata, tot Poetae.

7. *Catulli hendecasyllabi De Acme et Septimio* [45]
versibus elegis expressi.

Acmen Septimius teneros complexus amores,
  O Acme, mea lux, deliciumque meum,
Ni misere te, dixit, amo, ni perdite amare
  Discupio vitae tempus in omne meae,
Quantum qui potis est capitis discrimen adire,

Plurimum, et immanem perniciem oppetere,
Solus apud Libyas, vel tostos solibus Indos
  Occurram fulvis obvia praeda feris.
Haec ecfatus ubi, laeva de parte secundis
  Alitibus dextrum sternuit omen Amor.
Ast Acme caput inflectens, puerique lacessens
  Ebria purpureis lumina suaviolis,
Sic, inquit, mea vita, meus lepor, huic domino uni,
  Huic devoti omni tempore simus, ait:
Ut mihi nunc maior molleis est flamma medullas,
  Acrior et misto gliscit amore furor.
Hoc postquam ecfata est, laeva de parte secundis
  Alitibus dextrum sternuit omen Amor.
Nunc bono ab auspicio, faustis avibusque profecti,
  Mentibus unanimis mutua amantur, amant.
Unam Septimius nunc mavult saucius Acmen,
  Quam Syrias, aut quae regna Britannus habet.
Uno in Septimio totis nunc sensibus Acme
  Perdita conspirat, deliciasque facit.
Quis par candidius tenerorum vidit amantum?
  Aut fuit auspicio quae meliore Venus?

8. *Catulli Passer mortuus* [3] *similiter conversus.*

Lugete, o quantum est Venerum atque Cupidinum,
amantum
  Atque venustorum quicquid ubique hominum est,
Lugete. Ille meae lususque et cura puellae,
  Ah dolor, ille meae delicium Dominae
Passer mortuus est; quem serio amaverat illa
  Plus quam se, plus quam vitam oculosque suos.
Namque erat et mellitus, et ipsam cognitam habebat
  Tam bene, quam matrem nostra puella suam,
Et circumsiliens, uti ne a gremio illius unquam
  Cederet, ad solam pipilitabat heram.
At nunc it per iter nigrum miser, ah miser, illic
  Unde unquam reducem nemo pedem tetulit.
Ah vobis male sit, male quae omnia bella voratis,

O Orci vobis ah male sit tenebrae:
Tam bellum nobis rapuistis passerem iniquae.
O male factum! o mi passer, atrox facinus!
Ecce tua caussa nostrae tumefacta puellae
Turgescunt salsis lumina lacrimulis.

9. *Parodia ad Phaselum Catulli* [4], *in Causidicum, qui relicto foro coquinariam faciebat.*

Patronus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse litigator optimus;
Neque ullius minantis impetum fori
Nequisse detinere, sive crastinum
Iuberet ampliare, seu perendinum.
Et hoc negat feracis Aquitaniae
Negare rura, Vasconumque limites,
Cadurca iugera, et Rhutena pascua,
Lemovices, trucesque Petragorios:
Ubi iste post patronus, antea fuit
In urbe scriba. Nam forensium in grege
Loquente saepe scriptitavit arbitro.
Amoene Tarnis, et Garumna corniger,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait patronus: ultima ex origine
Tuis fuisse scriba dicit urbibus:
Tuis patronus adfuisse civibus.
Et inde tot per exsecranda praemia
Stipem tulisse, laeva, sive dextera
Sonaret aere; sive utramque Iuppiter
Simul sonante tangeret pecunia:
Neque ulla vota quaestuariis diis
Sibi esse facta, cum rediret a foro
Lucro gravatus usque propriam domum.
Sed haec prius fuere: nunc cibaria
Ligurit uncta, seque consecrat tibi
Culina dives, et culina divitis.

10. *Idem aliter.*

Magirus ille quem videtis hospites,

Ait fuisse litigator optimus;
Neque ullius tribunal arduum fori
Nequisse personare, sive legibus
Opus foret latrare, sive iurgiis.
Et hoc negat severa Nittiobrigum
Negare septa, Vasconumque curias,
Aginnum inane, Condomumque inhospitum,
Lemovicos, trucesque Petragorios.
Ubi iste post magirus, antea fuit
Laverna iuris, et patronus in foro
Loquente saepe voce prodidit reos.
Cadurce rabula, et Tolosa contumax,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait magirus: ultima ex origine
Tuis crepasse iura dicit in scholis,
Tua intonasse legibus sedilia:
Et inde surda per tot urbium fora
Stipem extudisse, laeva sive dextera
Rogaret aera, sive utramque pluscula
Pecunia gravaret improbus manum.
Neque ulla vota curialibus deis
Sibi esse facta, cum rediret a foro
Onustus aere adusque propriam domum.
Sed haec prius fuere: nunc cibaria
Ligurit uncta, seque dedicat tibi
Culina dives, et culina divitis.

11. *In eundem.*

Nunc ollas tractas, tractasti iurgia quondam:
Iura idem solitus vendere, iura coquis.

12. *In citatum quendam non respondentem.*

Proscripsit tua teque, quod citatus
Non responderis, optimus Senatus.
Non assis facis; et gravem tremendi
Legem carminis, ac severa iussa
Tantum verba putas: notas honoris,

Famae stigmata, nominis lituras,
Speras olim abolere posse; frustra.
Cum vulnus coiit, manet cicatrix:
Utque infamia vulnus est honoris;
Ita ignominia eius est cicatrix.

13. *De Sabino, quem sponsione mille ac ducentum aureorum provocarat, tergiversante triumphat Auctor.*

Quod Fontenaci verna non viriliter,
Quem stultus hostem provocavit, excipit:
Quod sponsione iam lacessitus, tamen
Frustratur, et calvitur, et pedem struit:
Extrema arena quod Quirites invocans
Indebitam antehac missionem postulat,
Non crure secto, non lacertum saucius,
Non hoste viso: sed tubae audito sono
Turpes latebras quaerit exanguis metu:
Vos Gallicanae lumen ac decus togae
(Quam cum Sabinus sumpsit olim, Iuppiter
Tunc inquinavit aere tempus aureum)
Vos, caeterique, qui voluptatem auribus
Huc aucupatum concucurristis domo,
Abite. abite. Iam sat est, vici. Quia
Vinci veretur, sat Sabinus victus est.
Abite, vici. Sed meam victoriam
Non aeneator praedicabit Isthmius,
Non laureatae nunciabunt literae.
Non me trahentem aulaea palmatae togae,
Viaeque equinis strata plaudentem ungulis
Ebur curule sistet in clivo Iovis,
Iovi Faliscae debitorem victimae.
Non bracteatis ventilabit laudibus
Volgi sequacis clamor, aut Quiritium
Paean canorus. non iocosa montium
Imago claris intonata plausibus
Victoris aures personabit gloria.
Plebeia pulpa ductet haec famelicos,

Perfusa fuco quos adulant nomina,
Quos lena inani fama titillat sono.
Confectus hostis, non triumphus nos iuvat.
Quidam Sabinum perculisse ludus est:
Nulla est Sabinum praeterire gloria.

14. *De stilo et charactere.*

Sententiarum quum supellex lauta sit,
Sermonis ingens sit politi copia
Penes Latinos, quos vetustas aurea
Catos magistros eloquentiae extulit,
Quorum e scatebris hauriendum sit tibi
Verborum acumen, disserendi amoenitas:
Quid est, loquendi quod novum modum ac genus
Incude toties fabricas tua tibi?
Rerum magister et tyrannus omnium
Sermonis usus artifex vernaculi est,
Qui tot loquelae, quot suas, rotat vices.
At dictionis splendidae peritiam
Latiis librorum conditam in sacrariis
Non sancit usus, sed vetusta auctoritas
Virûm Latinae principum eloquentiae.
Sed insolens hunc rancidi situs sapor, [*Palmerius ?*]
Utut loquatur, invidentem intelligi, [*Senec. epp.* 114, 4]
Morositasque pascit insani stili,
Promens ab ima verba casca origine,
Vix vel Cethegis gnara cinctutis prius.
Diversus alius bivio ab hoc flectens iter,
Inusitata dum timet, sordes amat. [*ibid.* 13]
At ille totus pellis, et totus macror,
Arena calcem non habens, nugae merae, [*Sueton.*
Inanitate plenus, et satur fame *Calig.* 53]
Ieiuna verba tinnit exili sono.
Pruritus alium tangit urticae novae,
Licenter audax et procul tralatio.
Teporis ille et lentitudinis metu
Profundit acer entheato spiritu

Inflata verba rore non Achaico. [*Vergil. catal.* 7, 1]
Stolide faceta ducit hunc vernilitas
Linguae elegantis perperam affectans sales.
Alius loquendi figere ignarus modum [*Douza pater* ?]
Orationem admittit extra terminos,
Quem non habenis Circus effusis capit.
Sic incolendi perdit omnem gratiam
In laxitatem ruris excurrens domus. [*Senec. ll.* 9]
Offendit alios planitas aequabilis, [*Lipsius*]
Quam Caesar olim, quam colebat Tullius;
Constrictae in arctum quos iuvant argutiae,
Quae per salebras saltitant, non ambulant;
Et, dum legentis haeret exspectatio,
Intelligendum, quam legendum, plus ferunt. [*Senec.*
Quae delicata vult morari lumina, *ll.* 1]
Et linquere animis, quod reportetur domum,
Sit succulenta, non obesa oratio,
Illustris, apta, nobilis, sese efferens
Non mole carnis, sed torosis artubus.
Sermonis ista sanitas, ut corporis;
Non sana tantum membra, verum alacria.
Sit aureorum luce verborum lita,
Sit compta nativa indole, et non squalidae
Antiquitatis obsoleta sordibus.
Sic cuncta variet, constet ut similis sibi.
Similis sibi sic constet, ut varie iuvet.
Quem pascit avidum masculi succus stili,
Semper recente postulat refici dape.
Et audiendo vel legendo frivola,
Conviva tanquam languido stomacho oscitans,
Si nil iacentem recreaverit famem,
Risum in quibusdam, somnum in aliis vix tenet.

Hoc carmen inscriptum est Albo Amicorum Danielis Heinsii, cum hoc tetrasticho:

Haec melius fuerat tenebris damnata sileri,
Et maius pretium dissimulare foret:

Sed veniam fortasse meret. non ultima pars est
Laudis, in Heinsiadae scripta fuisse libro.

15. *In Moncaudum Poetam Burdigalensem.*

Nihil fictum.

Summaenianis Urbis in sepulcretis
Ad prosedarum non trioboli lustra,
Media Suburra bustuarias aedes
Moncaudus habitat, quîs sepulcra vespillo,
Quîs anteponat vel Gemonias tortor.
Situs sed illas commodumque commendat:
Patentiore nam fruuntur aspectu,
Nec ulla purum tegula invidet caelum,
Patetque totum, quale Termini tectum.
Hoc unicum est lacunar: unica haec illi
Fenestra claro mane lumen admittit.
Haec pro camini pervio tubo, nigros
Transmittit extra transfugas heri fumos.
Haec pro perenni fonte, qui procul distat,
Laxante totum nimbido Iovem caelo,
Demittit urnae sponte defluos imbres:
Tuscanicum illi hoc, hoc cavaedium est illi.
Nil exeunti, nil et obstat intranti:
Non taediosae pensili mora scalae,
Non cochleae tot circularis anfractus,
Non eminenti structiles gradus mole:
Est facilis aditus limen, et pedis plani.
Pro marmore albo, emblematumque tessellis,
Dorsis iniquis tuber est pavimentum,
Quod ter quotannis, aut bis, aut semel verrit:
Asaroton illud nomines licet sane.
Intus supellex excipit domo digna,
Hero supellex digna: debili sponda
Tripes grabatus, scandulis tribus tectus,
Qui claudicante semifultus in scamno,
Delumbis, et luxatus, integros noctu
Hero periculosus invidet somnos.

Nec ulla restis, aut colorii funes
Plagulas reducunt, annulive velares:
Sed sola somnos praebitura securos
Aulaea situs araneosus obtendit.
Pro stramine illi, culcitaeque tomento
Vel scorteum segestre, vel senex cento,
Et pro tapete, proque stragula veste,
Exfimbriatis obsoleta fratillis
Anusque lodix, gausapeque detritum;
Substerniturque mille murium praeda,
Ac soricinum linteus minutale,
Qui possit esse ruderarium cribrum:
Idemque mensae servit unus et lecto,
Mantile nudae servit et toral mensae.
Ne dormientem laedat aura nocturna,
Quod nil sit illi, qui caput tegat noctu,
Calvariam armat subligaribus braccis:
Hoc involucro tectus, hoc et amiectu
Subfarcinatus ad meridiem stertit.
Compendiosa sumtibus via parcens:
Quippe una opella prandet, et simul coenat,
Et ientat, et merendat, atque comissat.
Coena ipsa frugi, Socratisque praescripto;
Vinum asse, panis asse, et asse pulmentum.
Ancilla, qualem non habere Moncaudus
Averet aliam, vel, si averet, haud posset;
Cadaverosa fronte, pendulis labris,
Cariosa, casca, Troici memor belli,
Pannuceas in ore praeferens rugas.
Everrias haec forte (si tamen verrit)
Protuberantis colligit pavimenti,
Scopis solutis, aut inutili ramo.
Haec terget ollas, implet hydriam: sordes
Et stercus effert: eluit lavatrinam.
Quotiesque tenti vatis aestuans inguen
Singultientis arrigit tumor venae,
Inemta Venus huic et parabilis praesto est,

Bidens amica, nocte pantices solvens.
At cum coquendae tempus appetit coenae,
Ut exstruatur lignea focus caede,
(Quis ergo damnet te, Lycurge?) Moncaudus
Excodicari vineam iubet, vites
Caesas voraci dat benignius flammae:
Et qui suo crevere Libero trunci,
Ceteri iubet perire Liberi vates.
Non alia mensa, quam vel unius custos
Pluteus papyri, vel duum libellorum.
Abax, et idem est pluteus. huic penu longo
Non integrarum fictilis patellarum
Astat supellex: curtus urceus: pelvis
Dimidia: rupto latere futilis guttus;
Triumque quondam nasiterna nasorum:
Nec non matella cum sorore craterra,
(Namque haec bibenti servit, illa meienti.)
Huic ansa periit, illa non habet limbum:
Aquale, futum, trulla, pollulum labrum.
At in quasillo, qui pependit e tigno,
Semesa perna, caseique buccellae,
Examinum atra verminantium cella.
Et in tabella, proximoque paxillo,
Frustilla pridiana carnis ambesae,
Analecta rosa, et olla iuris hesterni,
Lucanicorum circulus botellorum,
Vel lanx omasi, vel catinus hillarum:
Quae, pridianae cum poeticen Musae
Destertuit, conviva strenuus glutit.
Capsella subtus. hac reposta servatur
Poeticorum synthesis libellorum;
Servata, nec servata, quatinus semper
Illa inquilini scripta permeant mures;
Quibus refert Moncaudus unus acceptum,
Quod scripsit illis illa, non sibi tantum.
Deinde ploxenum, et forensium custos
Liticularum bulga, quas et is raro

Revisit opere, muribusque commendat,
Ut cognitores sint suam vicem illarum.
Istum modum Moncaudus, hos habet vitae
Moncaudus astus, ista vita Moncaudi.
Gens navitarum vana Lusitanorum,
Quid vos parandis opibus inmori cogit?
Moncaudus horum nil paravit, et vivit.
Scriptum Anno 1569 Montalbani.

16. *In quendam.*

Ille, novo qui te signavit nomine primus,
Unde Pyraethonis dat tibi nomen equi?
Sive equus in sensu spectetur, sive Pyraethon,
Conveniens non est ille, vel ille, tibi.
Quum totus sis nox, quinam potes esse Pyraethon?
Quumque asinus, quis te iure vocarit equum?

17. *Ad asinum Ocni graviter rudentem in Rob. Titium legentem orno, pro ocno, in versu Propertii,* [5, 21]
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno.

Si Titius tollit, qui te bene paverat, Ocnum;
Ergo tuam Titius pascat aselle famem.

18. *In Rumetum, qui suos versus pro antiquis supposuerat.* [*Muret. opp.* I 775. *Scal. ad Varr.* 1, 2]

Qui rigidae flammas evaserat ante Tholosae,
Rumetus, fumos vendidit ille mihi.

19. *Avarus.*

Arcarum in fundo quaecunque recondit Avarus,
Abstulit haec aliis, denegat ipse sibi.

20. *Improbitas humana.*

Caetera nec verum nec fas animantia norunt:
Verum et fas unus novit et odit homo.

21. *Degener nobilitas.*

Nobilitas est veste quidem tibi discolor o plebs,

Iudicio tamen est concolor illa tibi.

22. *In Taxum operibus triduo oppugnatum.*
Ex tempore.

Quadrupedem dum magna operum vi cingimus, illa
Secretum caecis callibus egit iter.
Tertia lux agitur, postquam molimine tanto
Inceptum frustra ludificatur opus.
Sit vobis ex hoste, viri, victoria capto,
Dum sit ei e łassis gloria parta viris.

23. *In Atalantae et Hippomanis fabulam.*

Incertum cui det meritam Victoria palmam,
Quos studio cursim mens rapit una pari.
Omnibus unus amor, sed non labor omnibus idem.
Hic praeit; hic sequitur, et cupit esse prior.
O virgo infelix, quam non vicere tot unam!
Infelix, quam fraus vicerit una viri!
Si vi certatim te non vicere tot unam;
Qui potuit sine vi vincere, qualis erat?

24. *Paulo a Gisbice.*

Ergo suis Paulus voluit me vivere chartis,
Quoque mihi fama est carmine, vita data est?
Debitor huic ego sum. Pauli sum pauper in aere.
Quid faciam? gratas Musa repende vices.
Illa, Quid ad veteres o stulte revolveris artes,
Atque tuis, inquit, viribus impar onus?
Quum tibi vernarent Zephyris spirantibus aurae,
Et felix habilem vena rigaret humum,
Poma ferax seris miranda nepotibus arbos
Nec semel, aut uno pollice carpta dabas.
Nunc ramale vetus, quid praeter muscida possis,
Aut damnanda focis arida ligna dare?
Carmine non moriente senex qui fovit amicos,
Inque suis voluit nomen habere libris,
Victuros memori potuit quos tradere saeclo,

Sat facit, illorum si meminisse potest.
E lectulo surgens III Kal. Ian. Iuliani 1602.

25. *Donum doctiss. auctoris Scaevolae Sammarthani De Gallis Doctrina illustribus Ios. Scaliger donabat Danieli Heinsio his versibus:*

Sibi hoc volumen a poeta Scaevola
Missum poetae Scaliger dat Heinsio.

26. *Danieli Heinsio gratiarum actio pro dedicatione Silii Italici.*

Ex tempore

Quod vester nostro sub nomine Silius, Heinsi,
Purpureo gentes lumine cultus adit;
Nec me hoc duntaxat, quo me non dignor, honore,
Sed devinxisti postera secla tibi.
Quod solum possum, quia me tibi debeo totum,
Me totum voveo tempus in omne tibi.
Sed quas debueram, neque possum solvere grates,
A tibi devincta Posteritate feras.

27. *De Henrico Rege servato.*

Duplex potestas ista fatorum fuit,
Gallis saluti quod foret, Gallis dare,
Servare Gallis quod dedisset optimum.

28. *In Veronam.*

Ocelle mundi, sidus Itali caeli,
Flos urbium, flos, corculumque amoenarum,
Quot sunt, eruntve, quot fuere, Verona
Brenni smaragde, transpadane berylle,
Gallorum iaspis, margarite Benaci:
Apex supremus elegantiae rerum,
Et meta summa, daedalaeque naturae.
Quam fronte prona fascibusque submissis
Urbes adorent, et lubenter agnoscant
Sublime maiestatis arduae lumen,

Nisi orba lucis viveres salutisque,
Iniuriosa servitute praedonum,
Qui nidulantur Adriaticis stagnis,
Et inde semper imminent novae praedae,
Thetidis nepotes, et Salaciae cives.
Heu Spartacorum traduces venenati!
Heu transfugarum tot propagines sacrae,
Et perditorum seges adulta latronum!
Queis summa laus est possidere de rapto,
Peculium fecisse de malo, virtus.
Quorum urbs ab atris quantacunque, quaecunque est,
Isaurica sodalitate, piratis
Conflata: ab atris aucta, fota piratis,
Auget, fovetque nunc amica piratas:
Taberna sceleris, officina Cyclopum,
Intus recondens copiam improbae mercis,
Dolique acervos flagitiique thesauros:
Ergastulum cruoris, et venenorum.
Ubi maxima mercede sanguinum servit
Propola toxici, institor mali succi:
Tum quisquis et clam, non palam nefas audet,
Sicariusque, qui palam nefas audet.
Nam lictor audax, publicusque grassator,
Cumque horrido lanista spiculatore,
Turpi fide auctoratus et sacramento,
Stipendiorum spe superbit, et sumit
A crimine animos, a licentia ferrum.
Ubi peierator, atque funerum manceps,
Sociique capitis atque sanguinis sector
Civis, suorum triste praestinat letum
Quocunque pretio, quot licent, amicorum.
Cui nulla iusto urbs Marte cessit, aut bello:
Sed quali ahena claustra moliebatur
Arte, et seras Philippus urbium, et vectes.
Hac propter ipso est in mari sita, ut magnas
Piscetur urbes undique aureo reti.
O Diva, nam quae vorticosa tempestas?

Quis turbo? quae aestuantis aura fortunae
Te mutat aliam, quisve casus affligit?
Quae tristis, expes, cassa lucis, atrata,
Squallentis obsoleta sordibus luctus
Moeres, ut orba, quae flet unicum mater?
Regina tot rerum, et tot urbium princeps,
Ubi tuorum est lux vetusta sceptrorum,
Et aureo splendore fulta maiestas?
Totoque maior orbe, par polo fastus?
Illique magni gloriae tuae fasces?
Ubi Quirites heu tui, tui cives,
Delecta pubes, flosculus iuventutis?
Ubi Divi alumni Principes, Iovis semen,
Proceres beati, debitum genus caelo,
Fulmen duelli, terror Adriae magni,
Opum hosticarum martiale tormentum,
Tutela patriae, spes labantium rerum,
Pacis sequestri, civibusque devoti,
Scaligera soboles, qui Feretrium tantis
Tot olim opimis, teque, Diva mactarunt?
Queis tot triumphos, tot trophaea, tot laurus;
Queis sceptri, honores, atque nomen Augustae
Accepta debes, quaeque mole sublimi
Educta Mausolea provocant coelum?
Proh sortem acerbam! proh volubilem casum!
Quanta e supremo culmine et statu rerum
Quanta excidisti! non tibi obfuit tantum,
(Nec posse credam) nauta Iapidis ripae, [*Iapydis?*]
Quantum una, sudos quae tibi dies, quaeque
Fortuna praeterpropter invidet lucem.
Ast o venusta mater, o parens salve.
O mea creatrix; vosque rite maiorum
Salvete manes. Ille ego nepos vester,
Pila atque lusus, ludicrumque fortunae:
Currens parentis exul exulis cursum:
Pro farre salso, proque adoreo libo,
Pro ture, proque februo parentali,

Si mentem capiunt illa vel illa tuam.
Felix, qui faciles traducis pectore curas;
Otiaque in tenera sancta quiete colis.
Vivacis cui dona indelibata senectae
Spondet inoffenso tracta tenore salus.
Quem non ulla malo labes tentavit acuto,
Non ulla afflavit vis inimica mali.
At mihi perpetuum mordacibus anxia curis,
Nec sine sollicito ducitur hora metu:
Quem monstro prognata lues, quae limite certo
Quatuor alternos itque reditque dies,
Obsidet, et tacita populatur peste medullas.
Hei mihi, quod loquimur verba minora malo!
Nec possunt elegi vivis proponere pestem
Sensibus. altiloquae res erat ista lyrae.
Sic me iniit victrix; sic me spoliavit inermem:
Sic de me celsis alta triumphat equis.
Nec mihi sufficiunt veteres in corpore vires:
Nec pes munus obit, nec manus ulla suum.
Sed sum, quod ventis debet ludibria pondus;
Et quod onus primis flatibus aura levat.
Me non ulla iuvat Cerealis gratia foetus;
Gnossia nec veteris grata saliva meri.
Omnia Cerbereum spirant mihi noxia virus;
Omnia sunt ori trita venena meo.
Quid ieiuna loquar diluti taedia gustus?
Oraque non unquam sicca liquore suo?
Quid matutinae fastidia lenta salivae?
Hostibus eveniat ah sapor ille meis!
Quid stomachum exesum stomachique inamabile murmur?
Et nunquam ad gemitus pectora muta suos?
Cum gravior fundo veniens exaestuat imo
Spiritus, et fauces tussis anhela quatit.
Quid nocturna modis insomnia turbida miris?
Quasque mihi intentat mortis imago minas?
I nunc, meque iube Musarum expromere foetus,

Et vacuae a nobis exige mentis opus.
Me iuvat exorare malum hoc: quibus illa pianda
Auxiliis: quo sit ture litanda mihi
(Formidandum aegris atque implacabile numen)
Una tribus Furiis addita quarta soror.
Post subducta polo caelestia semina flammae,
Atque Prometheae conscia furta manus,
Prima peregrinis Erebi caput extulit oris,
Insueta et vultu terruit astra suo,
Morborum et traxit ferales prima cohortes;
Seque ducem iussit et sua signa sequi.
Inde hominum miseris cervicibus imminet hostis;
Calcat et imposito subdita colla pede.
O dulces animae, si qui superestis amici,
Iure sodalitii pectora iuncta mihi,
Accipite has lacrymas, supremi pignora luctus,
Tristiaque atratis carmina picta notis.
Et tibi nec nostri sit funeris ultima cura,
Devotum Musis, docte Melisse, caput.
Sic tibi sint faciles Boeotica numina Musae,
Impediatque tuas laurus odora comas.
Atque olim, quandoque mei non inscia fati
Vertet in auriculas nuncia fama tuas,
Omnibus indicas fac luctum, Paulle, poetis;
Et, Nostri, dices, pars fuit ille chori.
Sic dices, tumuloque dabis tua carmina nostro;
Carminibusque tuis carmina iunge mea:
Heic situs est, qui nec vixit, nec mortuus olim est,
Nam mors viva illi; mortua vita fuit.
Scripsit aeger, et laborans febri quartana.

31. *In Olorem insignium P. Melissi.*

Quisquis picta mei legis argumenta Melissi,
Ipsa suis etiam disce referre notis.
Flexanimas voces signat, cantusque poetae
Blandus olor, dulci gutture carmen hians.
Idem etiam niveis passis argenteus alis,

Innocuos mores et sine labe, notat.
Uno argumento, pictura insignis in una,
Culturae et morum signa, Melisse, geris.

32. *In Lilia eorundem insignium.*

Lilia Francigenae fuerant insignia gentis,
Celta cui victus subdita colla dedit.
Nunc ea, sed vixdum veteris cognominis haeres,
Confusus Francis hibrida Gallus habet:
Et nullo gentis, nullo virtutis honore,
Cognatis maculat stemmata prisca notis.
Ast tibi vel duplici sunt debita iure, Melisse,
Quod virtus et gens illa dedere tibi.

33. *In Imaginem Melissi.*

Caetera membra mei spirantiaque ora poetae,
Artificis potuit pingere docta manus;
Sed verum, et vivum vatem, totumque Melissum,
Expressum in nostro pectore sculpsit amor.

34. *Illustrissimo Domino Henrico Borbonio, Dumbarum Principi.*

O quem te dicam, quoniam natalibus audes
Altius eximiis exeruisse caput.
Tu genus Heroum studiis atque artibus olim
Missum per Reges stemma tueris avos.
At quibus illustreis ortus natura negavit,
His virtus instar nobilitatis erit.
Et licet ad laudem cuncti grassemur honesto
Consilio, merces non tamen aequa manet.
Nam virtus alios homines Heroibus aequat,
Heroum natos sed iubet esse Deos.

35. *Eidem.*

Francorum nulli Regum pietate secundum
Trans maria evexit relligionis amor.
Ille triumphati spoliis Orientis onustus,

Gente ex barbarica parta trophaea tulit.
Huius tu soboles doctas amplecteris artes,
Quas prope depositas ultima fata trahunt:
Cum toto studiis intermorientibus orbe,
Barbaries atris celsa triumphet equis.
Si proavis, Henrice, tuis gens barbara cessit,
Barbaries debet cedere victa tibi.

36. *Eidem.*

Borboni columen generis, cui Pallas honestas
Artes dat puero, mox dabit arma viro;
Ne mirere, tibi si pro sermone pedestri
Mittimus imparibus verba ligata modis.
Blanda tui facit hoc, quae nos fovet, aura favoris:
Hanc in mente mea ventilat illa facem.
Nam mihi nescio quis recreans in carmina vires
Ardor amicitiae spirat ab igne tuae:
Ignotoque rudes praetentat Apolline sensus,
Quaecunque haec vis est, quam tuus afflat amor.
Nec vero metuam ne sim sine carmine vates,
Ipsa meum virtus nam tua carmen erit.

37. *Iac. Augusto Thuano, Notas in Novum Testamentum efflagitanti.*

O Musas et nos parili complexus amore,
Musarum et nostrum dulce, Thuane, decus;
Pro quo non dubitem totas ex ordine noctes,
Noctibus et totos continuare dies;
Quid me divini velo summota silentii
Legis Apostolicae tangere sacra iubes?
Ecce profanorum maculas abolere parantem
Impatiens veri non tulit invidia.
Scilicet in vero verum patienter amabunt,
Qui verum in nugis non potuere pati.
Illorum si luce sua praestringit ocellos
Sol meus, uret eos sol meus igne suo.

38. *Christianissimo Francorum et Polonorum Regi Henrico III. Urania Musa.*

Princeps sororum, quae beata secessus
Vireta celebrant inter Aonum montes;
Urania, quamvis me reposta caelorum
Species moratur, musicique concentus
Mundi volantis; conscias tamen fati
Coeli choreas astricas, et Erronum
Septem reliqui spatia, quos citis bigis
Curricula Circi magna semper exercent,
Ut hinc ministrent fata rebus humanis,
Momenta varient, ac reciprocos casus
Volvant revolvant. Namque me pius mentis
Incessit ardor, magne Rex, ut hunc nostrae
Gentis clientem, quem recenter a nigris
Leti tenebris imminentis, a dirae
Oblivionis vindicavimus fato,
Tuas ad aras, ad tuumque pulvinar
Sublime sistam, si novis ei possim
Modis honores comparare divinos,
Quos dia spirat aura numinis vestri,
Solioque fulgens eminente Maiestas.
Spes est, tuo ut favore fotus, et nido
Tuto receptus, nec licentiam indoctae
Plebis, nec ullum stigma Grammatistarum,
Nec inquinata menda, nec vetustatem
Sentire porro, nec gravem situm possit.
At universi rector orbis Augustus
Praestare non id quivit, ut suus Vates,
Qui sese in eius tradidit clientelam,
Non vim severae mortis experiretur:
Neque ille mendis, atque paedagogorum
Contaminatus obsolesceret nugis.
Tu, quum e tenebris, e silentio leti
Illustre victor efferens caput, sese
Dedat tibi Poeta (nam tuo nutu
Videre lucem se fatetur)[,] Augustum

Maiore laude vincis, ac suum tandem
Illi auferendo, vindicas tibi, Vatem.
Nam bene mereri Vate de suo, quem nec
Servare potuit, iure non potest ullo.
Tuus poeta est igitur optimo iure.
Quid, quod vagantum nosse Siderum cursus,
Solis labores, spatia menstruae Lunae,
Annumque gressus in suos relabentem,
Indigna non est Rege maximo cura?
Testis Necepso, qui Canopici regni
Tenens habenas, nocte consulens caelum,
Quaecunque limes astra signifer portat,
Radio notavit. quid vetustus eiusdem
Tyrannus aulae, terque maximus Nili
Regnator Hermes, qui logisticis punctis
Collegit astra; caelici penetralis
Reseravit adyta, venit ad Deos ipsos,
Caelo potitus sic per astra captivo?
Quid priscus Atlas, rector Africae, qui non
Cervice, verum mente pertulit caelum?
Quid ille, canae quem loquentur aetates,
Astrorum alumnus, pignus aureum caeli,
Castellae amoenae Rex vetustus Alfonsus;
Aliique, quos nec explicaverim, Reges,
Divina qui per scripta Regibus magnis,
Magnisque tantam Ducibus asserunt artem?
Ars ista sic, Rex magne, Regibus non est
Indigna, quae tot vindices habet Reges.
Quod si et clientem hunc recipis; o quater felix,
Quem sic tuentur, saeculisque commendant
Regale studium, tuque maximus Regum.

[„memini tamen me alicubi memoria lapsum esse. igitur pro illo *Rex Celtiberae Tarraconis Alfonsus* reponendus erit ille *Castellae amoenae rex vetustus Alfonsus*." Scaliger ipse moriens teste Daniele Heinsio in Scaligeri epistolis p. 835.]

Hoc carmen praefixum est priori editioni Manilii.

39. *In Lexicorum compilatores, inscriptum Lexico Arabico a se collecto, in Batavis.*

Si quem dura manet sententia iudicis olim,
Damnatum aerumnis suppliciisque caput:
Hunc neque fabrili lassent ergastula massa,
Nec rigidas vexent fossa metalla manus.
Lexica contexat, nam caetera quid moror? omnes
Poenarum facies hic labor unus habet.

40. *Ex Salomone, Proverbiorum cap. XXXI.*

Τίς ποτ᾽ ἀριστεύουσαν ἐν ἀνδράσιν εὗρε γυναῖκα;
ἡ δὲ χλιδῆς πάσης ἀντάξιος ἀντερύσασθαι.
ἐν ταύτης γὰρ χερσὶ φίλον κέαρ ἀνδρὸς ἑοῖο
ἔλπεται, εὐκτεάνου δὲ ἀτέμβεται οὔποτε λείης.
καί ἑ γυνὴ πρόφρασσα φιλοφροσύνῃσι νόοιο
οὐ κακὸν ἀλλ᾽ ἐσθλόν τι ἀμείβεται ἤματα πάντα.
ἥ τε μετερχομένη τῶν ἐν φρεσὶν ᾗσι μενοινᾷ,
ἢ λίνον, ἢ ἔριον φιλερίθοις χερσὶ πονεύει.
τηλόθι δ᾽ οἱ βιότοιο πορίζεται ἤϊα πάντα,
οἵά τις ἐμπεράμου φιλοκερδέος ὠκυάλη νηῦς.
καὶ γὰρ ἐρημολεχὴς κοίτης ἄγχαυρον ἀνέστη
ἐννυχίη, ἀταλοὺς μενοεικέος ὄφρα κορέσσῃ
υἱέας ἁρμαλιῆς, καὶ δμωΐδας ἔνδον ἐρίθους.
καὶ τινά που πυκινῇσι προμηθείαις ὁρόωσα
ἀγροῦ συγχόρτοιο τιτύσκεται ὀργάδα γαίην.
ἐκ δέ μιν ἐργολαβεῖ, φίτυσέ τε θέσκελον ὄρχον.
θειλόπεδον ἐριθηλὲς ἑοῖς κομέουσα πόνοισιν.
ἂν δὲ μὲν ὀτραλέη ἐζώσατο εὔστολον ὀσφύν.
ἂν δὲ πόνῳ κάρτυνε βραχίονα καρτερόμοχθον,
οὐδ᾽ ἧς ἐμπορίης χρηστὴν ἐπιμέμφεται αἶσαν.
ἀμφοτέρῃσιν ἔμαρψεν ἀτρακτίδα τ᾽ ἠλακάτην τε,
ἠλακάτην λαιῇ, καὶ ἀτρακτίδα δεξιτερῆφι.
λιμαλέοις, πενιχροῖς τε ὑπείρεχε χεῖρα βοηθὸν,
λιμαλέοις θρέπτειρα, πενιχροῖς ὀλβοδότειρα.
πάντα οἱ ἐν μεγάροις εὐτύκτοις νήπια τέκνα
οὔτ᾽ ὄθεται βορέαο δυσαέος, οὔτε ἀτύχθη
ψυχροβόλου νιφάδος ῥιπῆς δυσπέμφελον ἦμαρ.

οὐδὲ πόνων συνέταιρος ἐν ὄρφνῃ λύχνος ἀπέσβη·
Διπλοΐδας γὰρ πάντες ἐπαλέας ἀμφιένυνται.
καί οἱ ἅλις γλαφυραῖς χηλοῖς ἔνι σιγαλόεντα
πορφυρέοισι τάπησιν ἐπήτριμα ῥήγεα κεῖται.
πᾶσιν ἀριστογάμοιο περικλυτὸς ἀνδρὸς ἀκουὴ
ἠμένου εἰν ἀγορῇ πολιοῖς παρὰ δημογέρησι. [* γέρουσι?]
ἡ δὲ παλιμπρώτησιν ἀφ᾽ ὧν κάμε χερσὶν ἑῇσι
δαιδαλόεν ἑανὸν ζωστῆρά τε πέρνατο κεστόν.
πάντα δὲ τιμήεντα καὶ ἄρτια φάρε᾽ ἕεστο.
οὔτε ἐνὶ κραδίῃ ἐμπάζεται αὔριον ἦμαρ.
ἢ καὶ ἀπὸ στόματος νημερτέ᾽ ἀμύμονος αὐδῆς
ἰθύνει σοφίην, καὶ θεσμὸν ἀγάνορα πειθοῦς.
πάντα δ᾽ ἐπεντύνουσα ἐπαρτέα ἔνδον ἐν οἴκῳ
οὔτι μεθημοσύνῃσιν ἑὸν βίον ἀργὸν ἀέξει.
τόῤῥα μιν εὐθύφρων τε ἀνὴρ, καὶ παῖδες ἀγαυοὶ
σεμνοῖς δειδίσκοντο παρηγορέεντες ἔπεσσι. [* ἐόντες?]
δῖα γύναι, πολλοὶ μὲν ἀριστεύσαντο κατ᾽ αἶσαν
τίμιαι ἡλικίδες, σὺ δ᾽ ὑπείρεχες ἔξοχα πασέων.
τηύσιον μορφὴ, πανετώσιον ἔπλετο κάλλος.
θευσεβέος δὲ γυναικὸς ἐτήτυμος αἶνος ἐτύχθη.
δεῦτ᾽ ἄγε εὐύμνοις μιν ἀμείψατε πάντες ἀοιδαῖς,
ὄφρα μιν εἰν ἀγορῇ κλείῃ ἑὰ θέσκελα ἔργα.

41. *Ex Hippocrate.*

τροφῆς ἀκορίη, καὶ πόνων ἀοκνίη,
καὶ σπερματώδους οὐσίης κατάσχεσις,
τρί᾽ αὐτὰ τῆς ἀνουσίης τηρητικά.

Idem Latine legitur in veteri pulcherrimo marmore in oppido S. Aegidii ad Rhodanum.

VESCI . CITRA . SATURITATEM
IMPIGRUM . ESSE . AD . LABOREM
VITALE . SEMEN . CONSERVARE
TRIA . SALUBERRIMA. Iani Gruteri inscript. p. 929.

42. *Hoc antiqui poetae De amantum miseria,*

ἅπαντες ἐσμὲν ἀθλιώτατον γένος
ἐρῶντες, οἷσπερ τοῦ πεπαῦσθαι τῆς νόσου

ὁδὸς μί' ἐστὶν ἀγχόνης, ἢ φαρμάκου.
ita convertebat Scaliger.
οὐδὲν ἔρωτος ἄκος προφερέστερον, ἠὲ τραχήλῳ
ἀρτάνη, ἢ βρόχθῳ φαρμακόεσσα πόσις.

43. *In filium quendam patri dissimillimum.*
ἡρώων παῖδες κάκ' ἐλέγχεα, τοῦτ' ἄρ' ἀληθῶς,
ὅστις ἀφ' Ἑλλάνων εἶπε παροιμιάων.
οὐχ ὁράᾳς, ὡς παῖς μέγ' ἀριστεύσαντι πεφύκει
γύννις ὅδ', ὡς πινυτῷ φωτὶ χαλιφρονέων;
δράστῃ ἀμβολιεργὸς; ἀπαυδήμων ταλαεργῷ;
τακτῷ ἀκοσμόβιος; σύμφρον' ἀκαιροβόας;
σεμνῷ ἀτιμόγελως; καὶ μαψιλάκης ἐχεμύθῳ;
τῷ τε γαληνοφαεῖ σκυθρομετωπονεφής;
τῷ ῥαδινοῖς μελέεσσιν ἀρηρότι, γαστρὸς ἐφολκὶς,
ἅ τε βαθύκναμος, καὶ πλατύπους πιθάκνα;
ἡρώων παῖδες λῶβαι. τί κε θαμβήσαιμεν,
εἰ χ' ἥρως λώβαν τόνδ' ἀνέφυσε πατήρ;

44. *Inter arma non esse Musis locum.*
τεύχε' ἐπαλλοτριβῆ, πυρικύμονος ἔμπορα τέχνης,
χαλκὸς μὲν λιθότριψ, χαλκοτριβής τε λίθος,
καὶ τάδε θειοβαφῆ φέγγους θηρήμονα κάρφεα,
καὶ φλογὸς ἁρπαλέης τοῦτ' ἀλιβὲς δέλεαρ,
καὶ σὺ φιλαγρύπνοιο συνίστωρ λύχνε μερίμνης,
νυκτιφαὲς πινυτῆς ὄμμα περιφροσύνης,
χαίρετέ μοι. τότε γὰρ πολλὴ χάρις ἔσσεται ὑμέων,
ὅττε μάχης, καὶ Ἄρευς ἔσσεται οὐδεμίη.
Idem Latine.
Arma suo attritu excudendis ignibus apta,
Quodque terit ferrum, qui teriturque silex:
Et quod sulfureum venatur lumina lignum:
Ustilis et celeri quae perit esca rogo:
Tuque mihi vigilis studiorum conscia cura,
Illustrans noctes parca lucerna meas:
Ite procul! vestri usus erit vel maximus olim,
Si neque bellorum, si neque Martis erit.

45. *Noctu in lecto quum esset Auctor Tarbae Bigerronum, neque per aestus anni, tonitrua, et fulgura quiescere posset, offensus garrulitate cuiusdam in coena pridiana, sequentia duo epigrammata meditabatur.*

οὐ σκόπον εὐμαθίης νημερτέα πουλυμαθείη
  ἔλλαχεν, οὐδὲ νόου δόξαν ἀδηλογίη.
ὃς γὰρ ἀμετροεπὴς ἀνεμοτρεφὲς αἰὲν οἴημα
  αἰόλλει κούφοις πηδαλίοισι νόου,
πάντας ὑποβλήδην λαβρηγορίαις ὑποτέμνων,
  οὐδὲ τέκμωρ μανίης οἶδεν ἀπειρολάλου,
τοῦτον ἐπισπέρχουσ᾽ ἀεσίφρονα θουρὰς ἀέλλη
  ῥῖψε δοκησισόφου μήτιος εἰς σκοπέλους.
ὃς δ᾽ αὖ πευκαλίμου ψυχῆς οἰήϊα νωμῶν
  εὐκραεῖ πραπίδων πείθετο νηνεμίῃ,
τόνδε γαληνιόωντι νόῳ πλησίστιος οὖρος
  ἦγεν ἀεὶ πινυτῷ ὅρμον ἐς εὐστοχίης.

Idem Latine.

Istud non scire est, quamplurima scire videri.
  Istud sentire est non bene, multa loqui.
Sed quicunque loquax ventosae mentis habenis
  Versat agens animum turbidus instabilem,
Obloquiturque aliis, interpellatque loquentes,
  Nec certum morbo scit posuisse modum:
Illum transversum rapido celer impete turbo
  In vanae scopulos credulitatis agit.
At qui tuta regens animi moderamina cauti
  Aurae tranquilli paruit ingenii:
Illum composita placidum levis aura quiete
  Egit ad optati litora consilii.

46. *In Pyrenaeis haec scribebat, Aquis caldis.*

Aspice quanta, quibus vitiis, quibus obsita morbis
  Turba, diu lenta decolor ora lue,
Per rigidas cautes, et inhospita tesca Pyrenes,
  Tesca vel humano vix adeunda pede,
Paeonii laticis vastis obsessa ruinis
  Dona petit. tanti posse valere putat;

Ut paene ipsius vitae discrimine vita,
  Utque ipsa constet paene salute salus.
Ergo difficilem quaestum Natura salutis
  Non sine difficili parca labore dedit.
Illa salutiferum thesaurum hoc carcere sepsit,
  Carius ut scires esse salute nihil.

Idem Graece.

Πόσσος ὄχλος, πόσσῃσιν ἀρημένος ἄψεα νούσοις,
  καὶ λύμαις χροιῆς ἄνθος ἀμειψάμενος
ἀν στυφέλους κνημοὺς, ἀν᾽ ἀπανθρώποιο Πυρήνης
  ὄκριας ἀνδρομέοις ἴχνεσιν ἀστιβέας
τὸν ποτὸν ἀλθήεντα μετέρχεται ἀμφὶς ἐν ὄχθοις
  εἰργόμενον. τόσσου μὴ νοσέειν πρίαται,
ὥστε μάλα πρό τε τῷ ὑγιείης τὴν ὑγίειαν
  ἀντιπαραῤῥιπτεῖν, τόν τε βίον πρὸ βίου.
ἦ ῥα φύσις πάλαι ἀργαλέην κομιδὴν βιότοιο
  φεισαμένη χαμάτῳ θῆκεν ἐπ᾽ ἀργαλέῳ.
ζωαρκὲς δὲ τόσῃ κειμήλιον ἄμφεπεν εἱρκτῇ,
  ὅττ᾽ οὐδὲν ζωῆς κτῆμα περισσότερον.

47. *Idem Iambis Tragicis.*

Πόσος πόσαισιν ὄχλος ἐμπλακεὶς νόσοις,
ποίαις ἀλύων γυῖα συντρόφοις δύαις,
καὶ δυσπροσώπῳ βλέμμα χαλκαίνων χροᾷ,
διὰ τῶν ἐρήμων, τῶν δυσαμβάτων βροτοῖς
στιφρᾶς Πυρήνης θηροδεγμόνων πάγων
κόλποις φαράγγων ἐγκρυβέντα τῶν πόνων
ἀλεξιτῆρα, τὸν βιοσταγῆ ποτὸν
διζεῖ; τοσαύτης προικὸς αἱρεῖ μὴ νοσεῖν,
ὥστ᾽ ἀσφαλείας ἄντι κινδυνεύεται,
βίον τε θηρῶν τοῦ βίου μὴ φείδεται.
ἀνόσου δ᾽ ἀρωγῆς θῆκεν ἡ φύσις πόρον
τὸν δυσπόριστον ἐν τρόποις ἀμηχάνοις.
ὡς δ᾽ ἔστιν εἱρκταῖς πλοῦτος ὑγιείας ὅδε
τοσοῦτος ἐν τόσαισιν ἐγκεκλεισμένος[,]
ὡς οὐδὲν αὐτῆς χρῆμα τιμαλφέστερον.

48. *Ad Brissantellum, et Flor. Christianum.*
ὦ δισσὰ φιλίας ἐντελοῦς ἀγάλματα,
σύ μοι μὲν ἄρτι, σὺ δὲ διὰ χρόνου φανεὶς[,]
χαίροιτ' ἂν ἄμφω πρῶτα φιλτάτων ἐμοὶ,
ἔναυλον οἰκούρημα τῆς ἐμῆς φρενὸς,
δισώματός τε τῆς μιᾶς ψυχῆς ζυγὸς,
χαίροιτ' ἄν. ὡς ὑμᾶς μὲν ἀσπαστῶς χρόνῳ
παρὼν ἀπόντας κοὐκ ἰδὼν προσπτύσ[σ]ομαι
μνήμης ἐναργὲς ψηλάφημα τῆς ἐμῆς.
ἐξαίρετ' ἄμφω δ' ἔξοχ' αἰτοῦμαι, σὲ μὲν
χάρισμα Βρισσάντελλε σῆς παρουσίας,
σὲ δ' αὖτε, Χριστιανὲ, φίλτατον κάρα
Χαλδαϊκοῦ λειμῶνος ἀνθεμοβρυὲς
ἁδρόν τε θησαύρισμα Μουστῆρος σοφοῦ
μελισσομίμοις ἐκλογαῖς ἀκρόδροπον.
ὡς ἐμέ γ' ἀνάγκη τῷδε πρωτεῦσαι φίλων,
εἰ καὶ φίλων πρώτευμα σοὶ πάντων ἐγώ.

49. *In nomen Quinti Septimii Florentis Christiani.*
Ὦ πέμπτ' ἀδελφῶν, μηνὸς ἑβδόμου τέκος,
Τὴν κλῆσιν ἄνθους εὐχλόου καλούμενε
Τῆς εὐαγίστου πίστεως φερώνυμε.

De eodem, ipse Christianus.

Ne quis miretur praenomina nostra: nempe Quintum est
Enixa mater, Septimoque mense.
Quod si lingua fuisset ter mea Tulliana, possem
Tertullianus esse Christianus.
Verum ter valeat mihi Tullius atque Tullianus,
Dum Christiani floreant stolones.

50. ΣΚΑΛΑΝΟΣ ΧΡΙΣΤΙΑΝΩ[Ι].
Ὡς ἔκ τε τύρβης, ἔκ τε κάκκης βορβόρου,
Ἐκ τῶν ὀχῶν τ' ἐν συμβολαῖσιν ἀμφόδων
Στεναῖσιν, ἀλλήλοισιν ἐμπεπλεγμένων,
Κἀκ τῶν καπήλων τῶν τε λαχανοπωλίδων
Καὶ τῶν κεκρακτῶν καυσίμοις τῆς καγκάνου
Δέσμαισιν ὕλης νῶτον ἐγκεκυφότων,

Ἐξ ἀκμόνων τε, τῆς τε χειρωναξίας
Χαλκολτύπου, σφύραισιν ἐξωπλισμένης. [χαλκοκτύπου?]
Κἀκ τῶν κακούργων τεκτόνων γείσσων ἄπο
Κεραμίδος ἄκρης λευσίμῳ πετρώματι
Κάρηνα καιρίαισι θρυπτόντων βολαῖς,
Καὶ κῆρ᾽ ἑτοίμην τῆς ἀπειλούσης δοκοῦ.
Τῶν τ᾽ ἐν δρυφάκτοις θηρίων δικηφάγων,
Καὶ τῶν ἀπ᾽ αὐλῆς κνωδάλων δυσωνύμου
Ἀργῶν πιθήκων ὦτα διατετρημένων
Κρίκοισι καὶ κόμαισιν ἐξησκημένων
Γυναικομίμοις βοστρύχων κηπεύμασιν.
Ὄχλων τε τῶν ἐν εὐσεβῶν ψυχῶν φόνῳ
Σφαγαῖσι τ᾽ ἐξάγιστα βαψάντων ξίφη
Μάστιξιν οὓς δὴ ποινίμοις οἰστρηλατεῖ
Ῥαίστειρ᾽ ἐριννὺς καὶ θεήλατος δίκη,
Ὡς οὖν ἀπ᾽ ἐναγῶν ἄστεος Παρισίων,
Δυσπεμφέλου δὴ τῆς πάλαι νόσου μόγις
Χειμῶνος ἐκνεύσαντά μ᾽ ἐξεδέξατο
Τὸ Βινδοκινῶν ἄστυ καὶ φίλαις δοχαῖς
Ἐπεξένωσε. τί μάλα ποιήσαιμ᾽ ἔχων;
Τί πρῶτον; ἤ τι λοίσθιον, πλὴν εἰ τὰ σοῦ
Φίλτατα γ᾽ ἐπισκέψαιμ᾽ ἂν ὃς πάντων ἐμοὶ
Ἔφυς τὸ πρῶτον καὶ τὸ λοίσθιον χρεῶν.
Πρῶτον τὸν οἶκον εἶτα τὴν οἰκουρίδα
Τά τε τέκνα τοῦ φύσαντος ὀφθαλμὼ δύω.
Ἃ δή, τὸν οἶκον, τέκνα, τὴν οἰκουρίδα
Ἀθῶα πάντα σῶα τ᾽ εὐθύνοι θεός.
Σὺ δ᾽, ὦ φίλοισιν εὐμενέστατον κάρα
Ἀθῶον εὐθύνοι σε καὶ σῶον θεός.

Vale, Vindocini.

Τούτους νοσηλοὺς καὶ πυρέσσοντας στίχους
Πυρετὸν πυρέσσων νυκτὸς ἐξεπονησάμην.

ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ ΣΚΑΛΑΝΩ[Ι].

Τὸ Βινδοκινῶν ὦ φίλος πολίχνιον
Ζηλῶ προτιμῶν καὶ μεγίστων ἄστεων[,]
Οὐκ εὐάγιστον οὕνεκα στεῦται δάκρυ
Λαχεῖν μεγίστου τοῦ βροτῶν φερεσβίου

(Τὸ γὰρ παράρων καὶ κεχομμένων φρένας
Μέληθρόν ἐστιν) ἀλλ' ὅτι Σκαλανίας
Ψυχῆς ὑγείαν ἐν νοσηλῷ σώματι
Ἔδεκτο χαῖρον. οἰκίαν δ' ἐμὴν ἐπεὶ
Ἠθεῖ' ἐπῆλθεν, ἥδομαι καὶ γάννυμαι.
Καὶ Χρέμυλος ὥσπερ κωμικὸς πλούτου τυχὼν
Ὑπ᾽ ἀνυπευθύνου μάλ᾽ ἀνδρός ἐστιν ὑβρίσθαι βαρύ.
Ἔστι δὴ μνήμων ἑαυτοῦ ὁ ἐλεῶν τὸν δυστυχῆ.
Δεύτερος ναυηγὸς οὐκ εὖ τῇ θαλάττῃ μέμφεται.
Ἐν κακοῖς θαῤῥεῖν ἂν εἴη πλὴν ἀθώου, μηδενός.
Ὄλβος αὖ φίλους ἔτεξε, συμφορὰ δ᾽ ἐλέγχεται.
Θυμὸν ἔγκοτον δαμάζων, πολέμιον νικᾷ μέγαν.
Εὐτυχῆ καλῶν σε, κατὰ σοῦ τὴν τύχην ἐρεσχελεῖς.
Τὸν φίλον κτῆσαι᾽ ἂν ἐχθρὸν ὡς γενησόμενόν ποτε.
Πᾶσ᾽ ἐπίστροφον μεγίστῳ κινδύνῳ φυλάσσεται.

Δῶρα δοὺς νεκρῷ, δίδωσιν οὐδὲν, αὐτὸν δὲ στερεῖ.
Κῦβος οὐκ ἐᾷ σκοπεῖν τί φευκτέον, τί θ᾽ αἱρετόν.
Οὐ τέλειόν ἐστιν, ὡς ἄμεμπτον εἶναι, μηδεέν.
Οὐδαμῇ κρεῖττον θανεῖν, ἢ ᾗ ἐβίωμεν ἀσμένως.
Ἄχαριν ἀποκαλῶν τιν᾽ ἄνδρα, πᾶν ὄνειδος ἐξέφης.
Διαφέρει τί πόσσ᾽ ἔχεις, εἰ πλεῖον᾽ ἔσθ᾽ ἅττ᾽ οὐκ ἔχεις.
Κατάγελως, ἀδίκων δι᾽ ἔχθραν, τὴν δικαιοσύνην πατεῖν.
Τὸ παριδεῖν περὶ πλεῖον ὠφέλησε τῆς τιμωρίας.

DIONYSII CATONIS Disticha de Moribus.

ΙΩΣΗΠΟΣ ΣΚΑΛΑΝΟΣ ΠΟΥΤΕΑΝΙΔΑΙΣ ΑΔΕΛΦΟΙΣ.

Ὦ παῖδες γλυκὺ πατρὸς ἀμωμήτοιο γένεθλον,
Ἐλλογίμοιο σοφοῦ τόδε βιβλίον εὔφρονι θύμῳ
Δέχθε παλαιὸν ὁμοῦ τε καὶ ἀρτιγενές. τὸ γὰρ ἡμεῖς
Τοῖς Ἰταλοῖς γνωστὸν, τοῖς δ᾽ Ἑλλήνεσσιν ἄγνωστον
(Μὰψ γὰρ ἐγνώριζεν τοῖς Ἑλλήνεσσι Πλανούδης)
Ὑμῖν ἦρα φέροντες, ἐς Ἑλλάδα γαῖαν ἱκέσθαι
Ἐξ Ἰταλῶν κελόμεσθα, καὶ Ἑλλάδα γῆρυν ἰάλλειν,
Εὐεπίης σοφίης τε κλυτὸν πόνον, ὄφρα δαῆτε
Ἀμφότερον, συνετῶς τε λαλεῖν, πινυτῶς τε φρονῆσαι.

IOSEPHUS SCALIGER FRATRIBUS PUTEANI FILIIS.

O pueri, patris laudati blanda propago,
Doctoris clari tranquilla mente volumen
Excipite hoc, vetus atque novellum: quippe quod olim
Solis notum Italis, Graecae ignorabile genti,
(Nam frustra Graecis voluit vulgare Planudes)
Ut vobis faveamus, in oras pergere Graecas
Iussimus ex Italis, et Graecam fundere vocem.
Facundum simul, et sapiens opus: unde paretur
Utrumque, eloquium, atque animi sapientia, vobis.

Praefatio Catonis ad Filium.

Φρασάμενος πλείστους ἀνθρώπων, ὡς περὶ θεσμοὺς
Ἤθων πλάζονται, προνοεῖσθαι τῶνδε μάλιστα
Ἄξιον ᾠϊσάμην, καὶ λήματος ἀντιλαβέσθαι,
Ὄφρα καλῶς ζώωσι, καὶ εὐκλεὲς εὖχος ἄρωνται.
Δεῦρ᾽ ἄγε τέκνον ἐμοὶ κεχαρισμένον, ὥς σε διδάξω
Πῶς δεῖ, ῥυθμίζοντα τεοῦ νοὸς ἤθεα κοσμεῖν.
Τάσδ᾽ οὖν ἐντολίας ἀνάγνωθι, γνῶθί τ᾽ ἀναγνούς.
Ὧν γὰρ ἀνέγνω τίς, μὴ δ᾽ ἔγνω, πάγχυ κατέγνω.

α. Καὶ δὴ ἄκουσον ἐμοῦ. Θεῷ εὔχου. Στέργε τοκῆας. β.
γ. Τοὺς πηοὺς τίμα. Τὸν ὑφηγητὴν πεφόβησο. δ.
ε. Τήρησον τὸ δοθέν. Νομίμοις ἀγορᾶς ὑποτάσσου. ς.
ζ. Τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδρῶν, καὶ τοῖς φρονίμοισιν ὁμίλει.
η. Εἰς τὴν συμβούλων ἄγυριν μὴ ἀκλητὶ παρελθεῖν.
θ. Κοσμιότητος ἔχου καθαρῶς. Ἀσπαστικὸς ἴσθι. ι.
ια. Εἶξον ἀρειοτέροισιν. Ἀφαυροτέρων πεφίδησο. ιβ.
ιγ. Κτήματα σοῦ τηρεῖν. Αἰδῶ ἐπὶ πᾶσι φυλάττειν. ιδ.
ιε. Τημελίην ἄσκει. Βιβλίων ὅτι πλεῖστα διέρχου. ις.
ιζ. Πάντα δ᾽ ἐνὶ μνήμῃ ταμιεύειν, ὧν κεν ἀναγνῷς.
ιη. Τῶν ἰδίων προνοεῖν. Πράως πάντεσσιν ὁμιλεῖν. ιθ.
κ. Μὴ νεμεσᾶν ἀλόγως. χλευάζειν μηδενὸς ἔργον. κα.
κβ. Χρῆσον μὲν τὸ δάνειον, ὅτῳ χρήσεις δὲ, λογίζου. κγ.
κδ. Εἴς γε δίκην πάριθι[.] τῷ βήματι ἐμφάνισόν σε. κε.
κς. Μὴ πολύδειπνος ἔμεν, μὴ συχνάκις εἰλαπινάζειν.
κζ. Εὗδε τὸ μέτρον σοῦ. Τὰ ἔνορκα δίκαια φύλαττε. κη.
κθ. Οἰνόφλυξ μὴ γίγνου. Ἀμύνασθαι περὶ πάτρης. λ.
λα. Μὴ προπετῶς πίστευσον. Ἀεὶ βουλὴν δὸς ἑαυτῷ. λβ.
λγ. Μαχλάδα πόρνην φεῦγε. Διδάσκου γράμματα πολλά. λδ.
λε. Μὴ γλώσσης ψεύδοιο χαριζόμενος παρεοῦσι.
λς. Τοὺς ἀγαθοὺς εὖ ἔρδε. Κακηγορίας ἀπέχεσθαι. λζ.
λη. Τὸ τρόπου εὔσχημον τήρει. Τὰ δίκαια δίκαζε. λθ.
μ. Καρτερίῃ γονέας νίκα. Μέμνησο παθὼν εὖ. μα.
μβ. Δυστυχέας μὴ σκῶπτε. Γενοῦ σύννους τε καὶ ἔμφρων.
μδ. Ἀμφ᾽ ἀρετὴν τρίβοιο. Χαλινοῦ μήνιος ὁρμήν. με.

μς. Μούνῳ ἄθυρε τρόχῳ. Κυβείαν πᾶσαν ἀλεύου. μζ.
μη. Ἰσχύϊ μηδὲν ἐπίτρεπ᾽. Ἐλάσσονα μὴ ἀθέριζε. μθ.
ν. Ἀλλοτρίων κτεάνων μή σε φρένας ἵμερος ἔλθοι.
να. Τὴν γαμετὴν σὴν ἀμφαγάπαζε. Τὰ τέκνα διδάσκου. νβ.
νγ. Ὃν θέσο θεσμὸν, ἔνεγκε. Λάλει παρὰ δαιτὶ βράχιστα. νδ.
νε. Τοῦθ᾽ ἔρδειν, ὃ δίκαιον ἔφυ. Τὸν ἔρωτα φέρειν εὖ. νς.

ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

Α. Εἰ Θεός ἐστι νοῦς, ὡς θέσφατα φησὶ παλαιῶν,
Καὶ σὺ μάλ᾽ ἐνδυκέως καθαρῷ νοΐ, τόνδε σέβιζε.
Β. Τὸ πλέον ἀγρύπνει, μὴ ἀμέτρως δ᾽ ἴσθι φίλυπνος.
Ἡ μακρή γ᾽ ἀνάπαυλα τροφὴν παθέεσσι χορηγεῖ.
Γ. Πρώτην τῶν ἀρετῶν ἡγοῦ τὴν γλῶσσαν ἐπισχεῖν.
Ἄγχι θεοῦ γὰρ ἐκεῖνος, ὃς οἶδεν καίρια σιγᾶν.
Δ. Ῥήμασιν ἀντιλόγοις μὴ ἐναντίος ἴσθι σεαυτῷ.
Οὐδενὶ συμφωνήσει, ὃς οὐ συμφωνεῖ ἑαυτῷ.
Ε. Ἤν ποτ᾽ ἐς ἀνθρώπων ἐπίδῃς βίον, ἤθεα τ᾽ αὐτῶν·
Κἢν αὐτοὶ μωμῶντ᾽ ἄλλους, τῶν δ᾽ οὔτις ἄμωμος.
ς. Κτησάμενος βλαβερόν τι, καὶ εἰ φίλον ἐστὶ, παραιτοῦ.
Ἔσθ᾽ ὅτι δεῖ πλούτοιο τὰ σύμφορα πρόσθεν ἑλέσθαι.
Ζ. Ὡς λόγος αἱρῇται, σεμνὸς γενοῦ, ἠδὲ προσηνής.
Ἐν καιρῷ σοφὸς ἦθος ἀνεγκλήτως μεταβάλλει.
Η. Μεμφομένῃ δούλους μὴ ἄγαν πίστευε δάμαρτι.
Πολλάκις ἡ σύλλεκτρος, ὃν ἀνὴρ φίλατο, μισεῖ.
Θ. Ἤν τινα νουθετέῃς, ὁ δ᾽ ἐφετμέων οὐκ ἐπακούῃ,
Εἰ μάλα μιν κραδίῃ φιλέεις, μὴ λῆγε μενοινῆς.
Ι. Μὴ συνέριζε λόγῳ τοῖς ἀνδράσιν ἀκριτομύθοις.
Πᾶσι λόγος δέδοται, σοφίη δὲ φρενῶν ὀλίγοισι.
ΙΑ. Ὡς ἄλλους φιλέειν, ὧς καὶ φίλος εἶναι ἑαυτῷ.
Ὡς χρηστοῖς ἔσο χρηστὸς, ὅπως βλάβος οὐδὲν ἐπίσπῃς.
ΙΒ. Φεῦγε νέους θρύλλους, μὴ καινοτόμος τὶς ἀκούσῃς.
Οὐδένα γ᾽ ἡ σιγὴ, τὸ λαλῆσαι δ᾽ ἤκαχε πολλούς.
ΙΓ. Ἐλπίδ᾽ ἀπαγγελίης μὴ ἑτοίμην αὐτίκα ἡγοῦ.
Ἡ πίστις σπανίη γ᾽, ὅτι πολλοὶ πολλὰ λαλοῦσι.

ΙΔ. Ἤν τις σ' αἰνέσσειε, σὺ γίγνου σεῖο δικαστής.
Μὴ πίστευ' ἄλλοις περὶ σοῦ πλέον, ἠὲ σεαυτῷ.
ΙΕ. Τὴν εὐεργεσίην ἄλλων ἐνὶ πλείοσι θρύλλει.
Ἤν δέ τι τοὺς ἄλλους εὖ ἔρδῃς, κεῦθε σιωπῇ.
Ις. Πολλὰ γέρων πολλῶν μεμνημένος ἔργα λόγους τε,
Ἐνδυκέως μέμνησο τάπερ νέος ὢν ποτ' ἔοργας.
ΙΖ. Τοῦ κρυφίως μή σοι μελέτω τινὶ κοινολογοῦντος.
Πᾶν ὑφορᾷ καθ' ἑαυτοῦ, ὃς αὐτῷ φαῦλα σύνοιδε.
ΙΗ. Ἐν ταῖς εὐτυχίαις τὰ τύχης ἑτερόῤῥοπ' ἄλευε.
Οὐχὶ τὰ λοίσθι' ἀεὶ τοῖς πρώτοις ἐστὶ συνῳδά.
ΙΘ. Εἴγε μινυνθάδιος βίος ἐστὶ καὶ ἄστατος ἡμῶν,
Ἐν μόρῳ ἀλλοτρίῳ τὴν ἐλπίδα σοῦ μὴ ἀναρτᾷν.
Κ. Εἴ τι σοι ἀκτέανος φίλος εὐτελὲς ὤπασε δῶρον,
Δέχνυσαι εὐμενέως, καὶ ἐπαίνεσον εὔφρονι θυμῷ.
ΚΑ. Εἴ σε τεκοῦσα φύσις γυμνὸν βρέφος ἦγε φόως δὲ,
Τῆς ἀχρημοσύνης ἄχθος φέρε καρτεροθύμως.
ΚΒ. Μὴ τρέσσῃς τὴν κῆρα βίου πέρας ἔσχατον οὖσαν.
Ὅστις κῆρα δέδοικε, καὶ ὃ ζῇ τοῦτ' ἀποβάλλει.
ΚΓ. Εἴ τι παθὼν ἀπὸ σεῦ ἀγαθόν τις μὴ χάριν οἶδε,
Μὴ τούτου μέμφοιο θεὸν, σὲ δὲ τῖσον ἑαυτόν.
ΚΔ. Ὄφρα μὴ ἐλλείπῃ τί σε, χρήμασι φειδομένως χρῶ,
Χ' ὡς τηρῇς τὰ ἐνόντα, λιπεῖν ἀεί τι νόμιζε.
ΚΕ. Ὅττι δύνῃ παραχρῆμα δόμεν, τόδε μὴ δὶς ὑπόσχου,
Μὴ κενόδοξος ἔῃς ἐθέλων φιλότιμος ἀκούειν.
Κς. Τόν σοι πλαστὰ λαλοῦντα καὶ οὔ σοι κηρόθι πιστὸν
Ἔμπαλι μιμοῦ καὶ σύ. δόλῳ δόλος ὧδε κρατεῖται.
ΚΖ. Ἀνέρας αἱμυλίους καὶ χρηστολόγους μὴ ἐπαίνει.
Ἡ σύριγξ λιγὺ μέλπει, ὅτ' ἰξεὺς ὄρνεα θέλγει.
ΚΗ. Ἤν σοι παῖδες ἔωσι, καὶ οὐκ ἄφενος, σὺ δὲ τούςδε
Παιδεύειν, ἵν' ἔχωσιν ἀκλήριον ἦμαρ ἀλαλκεῖν.
ΚΘ. Τοὐτελὲς ἔντιμον, τὸ δὲ τίμιον εὐτελὲς ἡγοῦ.
Οὕτως οὐ φαίνοιο φιλάργυρος, οὐδὲ σὺ κίμβιξ.
Λ. Μὴ ῥέξον τι σέων εἰθισμένος ἐσσὶ κακίζειν.
Αἰσχρὸν ὑφηγητῇ δ' ὅτ' ἐλέγχεται αὐτὸς ἁμαρτών.
ΛΑ. Αἴτησαι τὸ δίκαιον ἐὸν, τό τε καλῷ ἐοικός.
Αἰτίζειν δ' ἀμαθὲς, τό τ' ἀνήνασθαι θέμις ἐστίν.
ΛΒ. Μὴ γνωστοῦ ἀγνῶτα προτιμήσασθαι ἑταίρου.

Τὰ γνῶστ᾽ ἐστὶ λογισμῷ, ἀτὰρ τ᾽ ἄγνωστα τυχηρῶς.
ΛΓ. Εἰ βίοτος στρωφᾶται ἀτεκμάρτοισιν ἀέθλοις,
Ἦμαρ ἐν ᾧ πονέεις πᾶν κέρδεος ἀντιλογίζου.
ΛΔ. Κῆν ἐπίδοξος ἔῃς νικᾷν, ὑπόεικε φίλῳ σοῦ.
Τῆς γὰρ ὑπηρεσίης ἥδεις ἡττῶνται ἑταῖροι.
ΛΕ. Εἰ μεγάλ᾽ αἰτίζεις, μὴ φείδεο βαιὰ χορηγεῖν.
Ὧδε χάρις τοίςδεσσι φίλους δεσμοῖσι συνάπτει.
Λς. Νείκεα τῷδ᾽ ἐπάγειν, ὅς σοι φίλος ἐστὶ, φυλάσσου.
Ἔχθος ἔτικτ᾽ ὀργὴ, φιλίης δ᾽ ὁμόνοια τιθήνη.
ΛΖ. Ἤν σέ ποτ᾽ ἀμπλακίαι θεράπων προάγωσι πρὸς ὀρ-
Τῆς ὁρμῆς κρατέειν, τῶν οἰκείων ἵνα φείσῃ. [γὴν,
ΛΗ. Ὃν νικᾷν δύνασαι, τῇ καρτερίῃ περιγίγνου.
Αἰεὶ καρτερίη δ᾽ ἀρετάων ἐστὶ μεγίστη.
ΛΘ. Ἐνδυκέως ταμίευε, τάπερ καμάτῳ πεπόρισται.
Τὴν πενίην κάματος γ᾽, ὅταν ᾖ δαπανηρὸς, ὀφέλλει.
Μ. Τοῖσι φίλοις καὶ ἔταισιν ἐπὰν φιλότιμος ἀκούσῃς
Ὄλβιος εὐτυχέων, σὺ δὲ φίλτερος ἴσθι σεαυτῷ.

ΒΙΒΛΙΟΝ ΔΕΥΤΕΡΟΝ.

Α. Ἔργα γεωπονίης εἰ σ᾽ εἰδέναι ἵμερος αἱρεῖ,
Βιργίλιον δίζευ. βοτανῶν δὲ δαήμεναι ἀκμὰς
Εἰ ποθέεις, ταύτας Μάκρου κλείουσιν ἀοιδαὶ,
Ὥσκε δύναιο νόσον μελέων ἀπὸ πᾶσαν ἀμῦναι.
Εἰ δ᾽ ἐθέλεις ῥώμης, ἐμφύλους τ᾽ ἴδμεν ἀγῶνας,
Λουκανὸν ζήτησον, ὃς Ἄρεος εἶπεν ἀέθλους.
Εἰ δὴ ἐρᾷν καὶ ἔρωτι μαθητεύειν προβέβουλας,
Νάσωνος πάρα ταῦτα μάθοις. Εἰ δ᾽ αὐτὸ μεριμνᾷς,
Πῶς σοφὸς ὢν διάγοις, κλῦθι μου, ἵνα ταῦτα διδα-
Πάντα δι᾽ ὧν ζωὴν κακίης δίχα πᾶσαν ἀνύσῃς. [χθῇς
Δεῦρ᾽ ἄρα, καὶ τί πέλει σοφίη μάθε νῦν, τάδ᾽ ἀνα-
γνούς.
Β. Εἰ δύνασαι, σπεῦσον καὶ τοὺς ἀγνῶτας ὀφέλλειν.
Κέρδιόν ἐστι φίλους περιποιεῖσθ᾽ ἢ βασιλεύειν.
Γ. Λεῖπε θεοῦ τ᾽ ἄῤῥητα, τί τ᾽ οὐρανός ἐστιν, ἐρευνᾷν.
Θνητὸς ἐὼν θνητοῖσι μεμηλότα ἔργα μερίμνα.
Δ. Ῥῖπτε φόβον θανάτου. τὸ γὰρ ἀφραδές ἐστιν, ἀλή-
κτως

Μοῖραν ὑποπτεύοντα, βίου θέλγητρα προέσθαι.
Ε. Ἀμφίβολον διὰ πρᾶγμα χολωσάμενος μὴ ἔριζε.
Θυμὸς ἐπιπροσθεῖ τῷ νῷ τοῦ τ' ἀτρεκὲς ἀθρεῖν.
ς. Αὐτίκα δὴ δαπάνησον, ὅταν τὰ πράγματ' ἀπαιτῇ.
Δεῖ κατὰ τὸ χρεῖος, καὶ τὸν καιρόν τι χορηγεῖν.
Ζ. Τοῦ μὲν ἄγαν ἀπέχου. Τῶν δ' αὖ μετρίων ἐπιθύμει.
Ἐν βαιῷ ποταμῷ γὰρ ἀκινδυνώτερος ὁ πλοῦς.
Η. Ὧν αἰδώς σ' αἱρεῖ, τάδε μὴ κοίνωσον ἑταίροις,
Μὴ πλέονες μέμφωνται, ὅπερ μόνῳ οὔ σοι ἀρέσκει.
Θ. Τοὺς ἀλιτροὺς μὴ οἴου ἀλιτροσυνῶν τι ὄνασθαι.
Πταίσματα τῷ τε χρόνῳ ἐλάθοντο, χρόνῳ τ' ἐφά-
Ι. Ἠπεδανοῖο φυὴν μὴ σωματίοιο κάκιζε. [νησαν.
Φραδμοσύνῃ προβέβηκεν, ὅτῳ φύσις οὐκ ἔπορ' ἀλ-
κήν.
ΙΑ. Ὃν σεῦ ἀκιδνότερον νοέεις, τῷ δ' εἶκ' ἐνὶ καιρῷ.
Πολλάχ' ὁ νικηθεὶς τὸν νικήσαντα κράτησε.
ΙΒ. Ἀψιμάχοις ἐπέεσσι μὴ ἀντιλόγησον ἑταίρῳ.
Ἐξ ὀλίγων μύθων μεγάλη ποτὲ δῆρις ὀρώρει.
ΙΓ. Κλήρῳ ἐρευνᾶσθαι τί θεὸς τεκμαίρετ' ἀλεύου.
Ὅττι γὰρ ὃς περὶ σοῦ τελέσει, σέο χωρὶς ὁρίζει.
ΙΔ. Μὴ φθόνον ἐκ κομιδῆς περιέργου σοι περιάψῃς,
Ὡς κἢν μὴ βλάψῃ τὶ, φέρειν γὲ μέν ἐστιν ἐπαχθής.
ΙΕ. Καρτεροθύμως τλῆσον, ἐὰν ἀδίκως κατακριθῇς·
Οὐ δὴν γαυριόωσι κριτῇ νικῶντες ἀθέσμῳ.
Ις. Μὴ τὴν λοιδορίην ἔριδος προένεγκε παλαιᾶς.
Μεμνῆσθαι δὲ κότοιο, κακόφρονός ἐστι, μετ' ἔχθραν.
ΙΖ. Μὴ τέ σ' ἐπαίνεσσον, μήτ' αὖθις ψέξον ἑαυτόν.
Τοῦτο πρὸς ἀφραδέων, οὓς οἰστρεῖ δόξα κενόφρων.
ΙΗ. Φείδου τῶν κτεάνων, δαπανῶν ὅτι πλῆθος ἐπιῤῥεῖ.
Ἐν μακρῷ τὸ ποριςθὲν, ὀλίζονι ἐν χρόνῳ ἔῤῥει.
ΙΘ. Ἄφρων γίνου, ὅταν τό τε πρᾶγμ' ὅ τε καιρὸς ἀπαιτῇ.
Ἀφροσύνης ἐπίχαιρος ὑπόκρισις, ἐστὶ φρόνησις.
Κ. Ἀμφότερον, καὶ σμικρολόγος, καὶ ἄσωτος ἀκούειν
Φεῦγε. τάδ' ἄμφω ὁμῶς εὐδοξίῃ ἀντιπέπονθε.
ΚΑ. Μὴ πίστευσον ἀεὶ τῷ ἀπαγγέλλοντί σοι ἄττα.
Δεῖ γὰρ πιστεύειν ὀλίγον τοῖς πολλὰ λαλοῦσι.
ΚΒ. Ἤν τι μέθῃ πταίσῃς, οὔτοι σύ[γ]γνωθι σεαυτῷ.

Οὐ τούτου ποτὸν ἐστὶν ἐπαίτιον, ἀλλ' ὁ πεπωκώς.
ΚΓ. Μῆτιν ἀπόῤῥητον σιγηλῷ κοίνου ἑταίρῳ.
Χρωτὸς ἀκεστορίην πιστῷ πίστευσον ἰητρῷ.
ΚΔ. Εἴ τινες εὐτυχέουσιν ἀνάξια, μὴ φέρ' ἀηδῶς.
Ἵλαός ἐστι τύχη τοῖς δειλοῖς, ὄφρα κακώσῃ.
ΚΕ. Δυστυχίας προνόησον ἐπερχομένας ὑπομεῖναι.
Κουφοτέρως λυπεῖ τὸ προειδόμενον φρεσὶν ἡμῶν.
Κς. Μὴ ψυχῇ κατάπιπτ' ἐν ἀμηχανίῃσιν ἀπογνοὺς,
Ἐλπίδα δὲ κρατέειν οὐδὲ θνήσκοντας ἐῶσαν.
ΚΖ. Μὴ τάπερ ἂν γνοίῃς σοὶ πρόσφορα, ταῦτα προέσθαι.
Πρόσθε κομᾷ μὲν ὁ καιρὸς, ὄπισθεν δ' ἐστὶ φαλακρός.
ΚΗ. Δέρκου ἐνὶ φρεσὶν ᾗσι, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.
Τόν τε θεὸν μίμησαι, ὃς ἀμφοτέρωθεν ὀπώπει.
ΚΘ. Ἀρκοῦ μὲν πρὸς καιρὸν ὀλίζοσιν, ὄφρ' ὑγιαίνῃς.
Καὶ νέμε παῦρα τρυφῇ, τὰ δὲ πλείονα τῇ ὑγιείῃ.
Λ. Μὴ τὴν τοῦ πλήθους ψῆφον μόνος ὢν ἀθερίζῃς,
Μὴ καὶ τῶν πολλῶν ὀλιγωρῶν οὐδ' ἕν' ἀρέσκῃς.
ΛΑ. Πρῶτον ἐνὶ πρώτοις μελέτω σοὶ τῆς ὑγιείης,
Μὴ ψέγε τὰς ὥρας. σύ τοι αἴτιος ἐσσὶ νόσοιο.
ΛΒ. Μὴ τὰ ἐνύπνια σοὶ μελέτω. τὰ γὰρ εὔχεται ἀνδρῶν
Νοῦς ὕπαρ ἐλπίζων, τάδ' ὄναρ φαντάζεται αὐτός.

ΒΙΒΛΙΟΝ ΤΡΙΤΟΝ.

Α. Ὅστις ἐπιστῆσαι βούλει τοίσδεσσι μέτροισι
Τοῖς πολὺ πλῆθος ἔχουσι βιωφελέων ὑποθηκῶν,
Πολλῶν ἂν μέγ' ὄναιο. σὺ δ' εἰ μὴ δέχνυσαι αὐτὰ,
Οὐ τὸν ὑφηγητήν με, σὲ δὲ πλέον ἐξαθερίσσεις.
Β. Τὸν νοῦν ἐντολίαις ῥύθμιζε μαθητύος οὔποτε λήγων.
Εἰκὼν γὰρ μόρου ἐστὶ μαθήσιος ἄμμορος αἰών.
Γ. Μὴ δώροισι τύχης ἐλλαμπρύνου ὑπὲρ αἶσαν.
Οὐκ ὄλβῳ νέμεται καλὸν κλέος, ἀλλὰ τρόποισι.
Δ. Ὀρθῶς ζῶν τὰ κακῶν λεσχάσματα μὴ ἀλεγίζοις.
Οὐ γὰρ ἐφ' ἡμῖν ἐστὶν, ἕκαστος τίπτε λαλήσῃ.
Ε. Ἢν κληθῇς ποτὲ μάρτυς, ὅσον τηρεῖν τὸ συνειδὸς,
(Ὥς γε μάλιστα δύνῃ) τοὔγκλημα κάλυψον ἑταίρου.
ς. Μύθους αἱμυλίους καὶ κωτίλλοντας ἀλεύου.
Μάρτυς ἀληθοσύνης ἁπλότης, δόλος αἱ[μυ]λομύ-
[θων.

Ζ. Νωθρείην φεῦγ' ἥτις ἀεργίη ἐστὶ νόοιο.
Εὖτ' ἂν ὁ νοῦς ἀτονῇ, τὸ δέμας δαπανᾶται ἀεργοῦν.
Η. Ταῖς ἰδίαις μελεδῶσιν ἐναλλὰξ ἔμβαλε τέρψεις,
Ὄφρα δύνησθα νόῳ μάλα τετλάμεν ὅν τινα μόχθον.
Θ. Ἄλλου μὴ ψέξῃς ἢ μὲν λόγον, ἠὲ καὶ ἔργον,
Μή σ' ἐπιχλευάζῃ μιμησάμενος σε καὶ αὐτός.
Ι. Ὅῤῥ' ἔλαχες δέλτοισι γεγραμμένος ὑστατίῃσι
Τήρει τ' εὖ καὶ ἄεξε, μὴ ὁ θρυλλούμενος εἴης.
ΙΑ. Ἢν περιῇ σοὶ πλεῖστος ἐν οὐδῷ γήραος ὄλβος,
Δαψιλέως μετάδος, κ' οὐ φειδομένος ἑτάροισι.
ΙΒ. Μὴ δούλου χρηστῆς ὀλιγώρει δέσποτα βουλῆς.
Μηδέ τινος γνώμην, εἰ σύμφορος ἐστ', ἀθέριζε.
ΙΓ. Κτήμασι καὶ κλήρῳ ἐὰν οὐκ ἐνῇ, ὡς τὸ πάρος περ,
Τοῖς στέργ' ἀσπασίως, τὰ χρόνος περίλοιπα χορηγεῖ.
ΙΔ. Μήτε γυναῖκα γαμεῖν ἀφνειῆς εἵνεκα προικὸς,
Μήτ' αὐτὴν κατέχειν, ὅτε ἄρχεται εἶναι ἐπαχθής.
ΙΕ. Πολλῶν δὴ ζηλῶν παράδειγμα μάθοις τί δεῖ ἔρδειν,
Καὶ τί φυγεῖν. ἄλλων βίος ἐστι διδάσκαλος ἡμῶν.
Ις. Τῶν δυνατῶν ἅπτου, μὴ βριθοσύνῃσι πιεσθεὶς
Πᾶς μόχθος κάμνῃ, τά τε μὰψ ἀρχθέντα προλείπῃς.
ΙΖ. Μὴ σίγα τάπερ οὐκ ὀρθῶς πραχθέντα σύνοιδας,
Μὴ καὶ τοὺς δειλοὺς δοκέῃς ζηλοῦν τάδε σιγῶν.
ΙΗ. Σώζου ἐπ' ἰθυντῆρα κριτὴν ἀδίκοιο νόμοιο.
Καί τε νόμοι ποθέουσ' ὀρθοῦσθαι τῷ ἐπεικεῖ.
ΙΘ. Ἄξια σοῦ πάσχων, τάδε τολμᾷν καρτεροθύμως.
Κρινόμενος δ' ἐπὶ σεῖο κριτοῦ, κατάγνωθι σεαυτοῦ.
Κ. Πόλλ' ἀναγινώσκειν ἐπὶ πλείστοις πλείον' ἀναγνούς.
Ποιηταὶ θαυμαστὰ γὰρ ἀλλ' οὐ πιστὰ λέγουσι.
ΚΑ. Ἐν τοῖς συσσίτοισιν ἑταίροις νῆφε λόγοισι,
Μὴ λάλος, εὐτράπελος δοκέειν μεμαὼς, μάλ' ἀκούῃς.
ΚΒ. Τῆς ὀργιζομένης ἀλόχου μὴ δείδιθι φωνάς.
Εὖτε τὸ θῆλυ γοᾷ, δακρύοις ἵστησιν ἔνεδραν.
ΚΓ. Τοῖς ἰδίοις κτεάτεσσι μόνον χρῶ, μὴ δὲ καταχρῶ.
Τῶν ἰδίων δαπανηταὶ ἐπαιτοῦσι τὰ θύρηφι.
ΚΔ. Γυμνάζου μὴ ταρβῆσαι θανάτοιο τελευτὴν,
Ἥ γ' ἐσθλὴ μὴ ἐοῦσα κακῶν πέρας ἐστίπερ ἔμπης.

ΚΕ. Τὴν ἀλόχου γλῶσσαν χρηστῆς οὔσης ἀνέχεσθαι.
Δυσφορέειν σὲ κακὸν, γλωσσαλγεῖν δ' αὖ μὶν ἐπαχθές.
Κς. Ἀμφοτέρους ἀγάπησον ἴσῃ φιλότητι τοκῆας.
Μὴ προσκόψῃς μητρὶ, χαριζόμενος πλέα πατρί.

ΒΙΒΛΙΟΝ ΤΕΤΑΡΤΟΝ.

Α. Ὅστις δὴ ποθέεις βίοτον διάγειν ἀτάρακτον,
Νῦν δ' εἶναι παθέων ἀμιγὴς τῶν ἤθεσιν ἐχθρῶν
Τὰς δ' ὑποθημοσύνας συχνῶς μέμνησο πολῆσαι,
Οἷς ἔνι δήεις, τῶν σὺ διδάσκαλος ἔσσῃ ἑαυτῷ.
Β. Πλούτου ὑπερφρονέειν, εἰ λῇς νόον ὄλβιος εἶναι,
Κίμβικες ὃν ποθέοντες ἀεὶ πτωχοὶ τελέθουσι.
Γ. Ὠφελίαι φύσεως μάλ' ἀνελλιπέες σοὶ ἔσονται,
Ἢν στέρξῃς κείνοις, τῶν περ χρεώ ἐστι βροτοῖσι.
Δ. Εἰ τὰ σὰ μὴ φρόνιμος τὶς ἐὼν διέπεις ἀλογίστως,
Μὴ κίκλησκε τύχην τυφλὴν τὴν μηδὲν ἐοῦσαν.
Ε. Φίλει μὲν, μετρίως δὲ φίλει τὸ νομίσματος εἶδος,
Οὔτινος οὐ σπουδαῖος ἀνὴρ διὰ χαλκὸν ἐρᾶται.
ς. Ἀφνειὸς γεγονὼς ἀμελὴς μὴ σώματος εἶναι.
Κέρμα ἔχει νοσέων γὰρ ὁ πλούσιος, οὐκ ἔχει αὐτόν.
Ζ. Παιδοτρίβου μάστιγα μαθητεύων πότ' ἀνατλὰς,
Τέτλαθι χωομένοιο βαρύφρονα πατρὸς ἐνιπήν.
Η. Πρᾶττε τὰ ὠφελέοντα. πάλιν δέ γε ταῦτα φυλάσσου,
Οἷσιν ὕπεστι πλάνη, μόχθοιο δὲ κῦβος ἄδηλος.
Θ. Μὴ πώλει αἰτοῦντι, τὸ δοῦναι προῖκα δύναιο.
Τοὺς ἀγαθοὺς εὖ δρᾶν, μέρος οὐ βραχὺ κέρδεος ἐστί.
Ι. Ἤν τι ὑποπτεύησθα, παραυτίκα τοῦτο ἔταζε.
Καί γ' εἴωθε τὸ μὴ πρώτως βασανισθὲν ἀᾶσαι.
ΙΑ. Εἰ κάτοχος δελέασσιν ἐνίσχῃ τῆς Ἀφροδίτης,
Μαργοσύνῃ μὴ νικῶ ἑταίρῃ τῶν ὑπὸ γαστρί.
ΙΒ. Εἰ φρεσὶ σῇσιν ἄρηρε τὰ θηρία πάντα φοβεῖσθαι,
Τρέσσαι ἕν' ἄνθρωπον κέλομαι περιώσια πάντων.
ΙΓ. Ἢν σοι ἐνακμάζῃ στιβαρὸν σθένος ἐν μελέεσσι,
Τοῦ φρονέειν μελέδαιν'. οὕτως ἀνδρεῖος ἀκούσεις.
ΙΔ. Ἢν κάμνησθα, μέτελθε νοσήλια σοὶ παρ' ἑταίρων.
Οὐ πιστοῖο φίλου τίς ἀμείνων ἐστὶν ἰητρός.

ΙΕ. Εἰ σὺ ἐν αἰτίᾳ ἐσσὶ, τί θῦμα θάνοι σεῦ ἕκητι;
Σκαιὸν ἐν ἀλλοτρίῳ θανάτῳ βίου ἐλπίδ' ἀνάπτειν.
Ις. Εἴγε φίλον τινά σοι ζητεῖς, ἢ πιστὸν ἑταῖρον,
Οὐχὶ τύχην, μᾶλλον δ' αὐτοῦ βίον ἀνδρὸς ἐρεύνα.
ΙΖ. Τῶν σαυτοῦ κτεάνων εὖ πάσχειν, μήδ' ἔσο κίμβιξ.
Τίς προκοπὴ πλούτοιο, πενητεύοντά σε πλουτεῖν;
ΙΗ. Ἢν τηρεῖν ἐθέλησθα διὰ ζωῆς κλέος ἐσθλὸν,
Φεῦγε νόου φυλακαῖσι βίου κακόχαρτα δέλετρα.
ΙΘ. Ἀρτίφρων τελέθων μὴ δὴ χλεύαζε τὸ γῆρας.
Νηπιαχῶς φρονέει γὰρ, ὅτις μέτρον ἵκετο γήρως.
Κ. Τεχνίδιον τὶ μάθοις, τῆς εὐτυχίης γ' ἀπιούσης
Ἀνδρὶ μένει, καὶ ζῶντα τὸ τεχνίον οὐκ ἀπολείπει.
ΚΑ. Ἅττα λέγει τοι ἕκαστος, ἀκὴν βασάνιζε σιωπῇ.
Ἤθεα γὰρ μερόπων κεύθει λόγος, ἠδ' ἀπογυμνοῖ.
ΚΒ. Ἄσκει τὴν μελέτην, εἰ καὶ τέχνην ἐδιδάχθης.
Ἡ μελέτη τὸν νοῦν, χεὶρ τὴν ἄσκησιν ἐθίζει.
ΚΓ. Μὴ πότμοιο μερίμνα ἐπερχομένοιο τελευτήν.
Οὐ τρομέει τὴν μοῖραν ὁ τὴν ζωὴν ἀθερίζων.
ΚΔ. Μάνθαν' ἀπ' ἐμπείρων, σὺ δὲ ἀπείρους ἐσθλὰ δίδαξον.
Ἐσθλῶν γὰρ διδαχὴν εἰς πολλοὺς δεῖ διαδοῦναι.
ΚΕ. Πῖνε τὸ μέτρον σοῦ, εἴ σοι φίλον ἔσθ' ὑγιαίνειν.
Ἡ γὰρ ἄγαν σπατάλη λυγρῆς νόσου αἴτιον ἐστίν.
Κς. Ὅττι περ αἰνήσαις κατενώπιον, ἢ δοκιμάσαις,
Μὴ τῷδ' εὐχερίησι νόου πάλι μῶμον ἀνάψῃς.
ΚΖ. Εὐτυχέων τὸ τύχης ἐς ἐναντίον ἀσταθὲς ἄθρει.
Δυστυχέων δὲ πάλιν περὶ σοῦ σχεῖν ἐλπίδ' ἀμείνω.
ΚΗ. Μάνθανε μὴ λήγων. μελέτη σοφίην μάλ' ὀφέλλει.
Μακρῇ γὰρ πείρῃ σπανίως χρόνος ἄνδρα σοφίζει.
ΚΘ. Αἴνει φειδομένως. ὃν πολλάκι γὰρ δοκιμάσαις,
Ἕν ποτε σοὶ, ποιός τις ἔην φίλος, ἦμαρ ἐλέγξει.
Λ. Μήτι καταισχύνοιο μαθεῖν, τό περ οὐκ ἐδιδάχθης.
Αἰνετόν ἐστι μάθησις, ὁ δ' ἀγνοίης ἔρος αἰσχρόν.
ΛΑ. Κύπριδι καὶ Βάκχῳ ἔρις εὐφροσύνη τε σύνεισιν.
Ἀσπάζου τὸ προσηνὲς ἐνὸν, τὰ δὲ νείκεα φεῦγε.
ΛΒ. Φεῦγε χαμαιζήλους, καὶ σιγηλῶν γένος ἀνδρῶν.
ᾗ νᾶμ' εὔκηλον, τάχα δὴ βαθὺ κρύπτεται ὕδωρ.

ΛΓ. Εἴ σε τύχη τῆς σῆς αἴσης μὴ πάμπαν ἀρέσκει,
Εἴσιδ' ἐς ἄλλου πότμον, ὅσῳ τεοῦ ἐστὶ χερείων.
ΛΔ. Τοῖς δυνατοῖς ἐπιχείρει. ἐρετμοῖς πλεῖν γὰρ ἄμεινον
Θῖνα παρ' εἰναλίην, ἢ λαίφει ὅλῳ πελαγίζειν.
ΛΕ. Μὴ βούλου ἀδίκως ἐριδαινέμεν ἀνδρὶ δικαίῳ.
Τῶν ἀνόμων θεὸς ἐστὶν ἀεὶ τιμήορος ὀργῶν.
Λς. Τῶν σεῦ ἀτεμβόμενος μὴ ποτνιῶ ἀγχνύμενος κῆρ·
Χαῖρε δὲ μᾶλλον, ὅταν τινὰ συμβῇ σοὶ κτεατίζειν.
ΛΖ. Ἄτλητον βλάβος ἐστὶ, τύχαις τὰ ἐνόντ' ἀποβάλλειν.
Ἔστιν δ' ἅττα φέρειν, φίλε, δεῖ τετληότι θυμῷ.
ΛΗ. Μή σοι ἐπαγγέλλου μήκιστον τέρμα βίοιο.
Σώματι γὰρ, σκιὰ ὥς, ἕπεται μόρος, ᾗχι πορεύῃ.
ΛΘ. Ἱλάσκου θυέεσσι θεόν· λίπε μόσχον ἀρότρῳ,
Μηδέ μιν εὐμενίσαι δόκει αἵματι καὶ σφαγίοισι.
Μ. Εἶκε τύχῃ μάλαπερ βεβλαμμένος, εἶκε κραταιῷ.
Ὁ βλάψας τὸ πρῶτον ἔχοι πάλι καί σε ὀνῆσαι.
ΜΑ. Ἤν τί ποτε πταίσῃς, πυκνῶς ἐπίπληξον ἑαυτῷ.
Τραῦμ' ὅτε δὴ θεραπεύετ' ἄχος πέλει ἄλγιος ἄλγος.
ΜΒ. Μὴ καταγινώσκοιο χρόνον μετὰ μακρὸν ἑταίρου.
Εἰ δὲ ἄμειψε τρόπους, τὰ πάλαι μέμνυσο δίκαια.
ΜΓ. Τῶν εὐεργεσιῶν χάριν ἴσθ', ἵνα φίλτερος εἴης.
Καὶ μὴ ὁ θρυλληθεὶς ὀλεσίχαρος αὐτὸς ἀκούσῃς.
ΜΔ. Μήποθ' ὕποπτος ἔμεν, μὴ νωλεμὲς ἄθλιος εἴης.
Δειλοῖς γὰρ θάνατος καὶ ὑποπτευτῆσιν ἄρηρεν.
ΜΕ. Εἰς ἰδίας χρείας ὠνησάμενος θεράποντας,
Ἀνθρώπους μέμνησο πέλειν, δούλους περ ἐόντας.
Μς. Αὐτίκα τοῦ πρώτου καιροῦ μελέδαινε λαβέσθαι.
Μὴ πάλι δίζηαι περ, ἃ πρὶν ὀλίγωρος ἀφῆκας.
ΜΖ. Αἰφνιδίῳ δειλῶν θανάτῳ μὴ σφόδρ' ἐπίχαιρε.
Εὐτυχέες θνήσκουσι, τέων βίος ἐστὶν ἀθῶος.
ΜΗ. Εἰ σύλλεκτρον ἔχεις, ἵνα μή σοι τὰ κτέατ' ἔῤῥοι,
Καὶ κλέος ἐσθλὸν ὄλοιτ'. ἄφιλον φίλον αἰὲν ἀλεύου.
ΜΘ. Ἤν ποτε πουλυμαθῆ συμβῇ μελέτῃ σὲ γενέσθαι,
Πλείονα μάνθαν'. ἀνήνασθαι δὲ μαθεῖν τι παραιτοῦ.
Ν. Ὅττι συνείρω ἔπη γυμνοῖσι λόγοισι, τέθηπας;
Ἦγε δὴ εὐσταλίῃ γνώμης τάδε σύνδυ' ἔνωσε.

SELECTA EPIGRAMMATA ex Anthologia Graecorum [*planudea.*]

α 13 Ποίην τις βιότοιο.

Quod vitae insistemus iter, si plena tumultu
Rebus et implicitis sunt fora, cura domi.
Rura labor multus circumstat: in aequore terror,
Ac peregre, sive es dives, ubique times;
Sin pauper, moeres. vivis cum coniuge? curis
Non sine eris: vita es caelibe, solus eris.
Sollicitus cum prole; orbus sine prole: iuventa
Consilio, sed vi cana senecta caret.
Alterutra istarum sors optima denique, vel non
Nasci, vel natum sic cito obire diem,

α 38 Εὔκολος Ἑρμείας.

Mercurius, pueri, minimo placabilis. Ille
Lacte, vel agresti melle litatus erit.
Non sic Alcides. Aries, aut agnus opimus
Poscitur; aut aliquo de grege lecta pecus.
Dicis: At ille lupos arcet. quasi referat, utrum
Custos, anne rapax perdat ovile lupus.

α 43 Θαρσαλέοι Κελτοὶ.

Audaces Celtae Rheno acri flumine primum
Explorant natos: neque enim pater ante vocatur,
Quam puerum sancta lotum conspexerit unda.

α 47 Μηδ' ὅτ' ἐπ' ἀγκύρῃ.

Seu tibi fundatam puppim tenet anchora, sive
Portus habet, noli credere, nauta, mari.
En portu submersus Ion perit: ille natando
Ducere non potuit brachia vincta mero.
O qui nave vehis, potum fuge: pontus Iacchum
(Tyrrheni ius hoc instituere) fugit.

Ὁ πρὶν ἀεὶ Βρομίου. α 47

Ille prius Bromio titubans vestigia rore,
Ille comes Bacchis semicaper Satyrus,
En paria aerata devinctus compede crura,
Nunc nato Thetidis fabricat arma Deae.
Non quidem honorato defungitur ille labore,
Sed miseram hac vitam sustinet arte suam.

Ποῦ σοι κεῖνα κύπελλα. α 47

Nunc ubi sunt calices, ubi quos iaculare solebas
Thyrsos, et potus, Faune petulce, tui?
Quis limae admovit? quis vinclis induit artus?
Quem Bacchi cunas convoluisse ferunt.
Pauperies, durisque urgens in rebus egestas,
Vulcano fumum me bibere illa dedit.

Ἐθραύσθης ἠλεῖα. α 55

Potantum in rixa crepuisti fracta, tuumque
Fudisti toto ventre, lagena, merum.
Aspera nam saxi vis eminus incidit in te,
Non Iovis, at Iovii missa repente manu.
Riserunt, ictam qui te videre sodales,
Et sonuit mistis plurima turba iocis.
Non ego te doleam Bacchum peperisse, Lagena:
Hoc fatum Semelae par erit atque tibi.

Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρών. α 84

Quidam auro invento laqueum abiicit: alter ubi aurum
Non reperit, nectit quem reperit laqueum.

Εἰς Ῥόδον εἰ πλεύσοι. β 6

Utrum adeunda Rhodos consultus Olympicus augur
Solvendaeque foret quae via tuta rati,
Sit primum nova navis, ait: discedere bruma
Parce, sed aestivo sidere vela dato.
Hoc bene si faxis, huc ibis tutus, et illuc,
Si non piratis obvia praeda venis.

β 34 ῾Η γραῦς ἡ Βάκχου.

Pernicies calicum Baucis, dum forte iaceret
  Aegra, Iovi tales concipit ore preces:
Si morbi dura haec incendia fugero, centum
  Soles de puro non nisi fonte bibam
Sobria, temetoque carens. post functa periclo
  Luce illa tali cogitat arte dolum:
Quod versat manibus, per crebra foramina cribrum
  Inspicit, et soles callida mille videt.

β 47 Ἤθελον οὐ χρυσόν τε καί.

Optarim mihi non aurum, non oppida terrae,
  Non quas Thebarum iactat Homerus opes:
Verum ut plena mero spument mihi pocula Baccho,
  Summaque perpetuus proluat ora latex:
Semper amicorum circum potante corona,
  Et vitem agricolae falce premente colant.
Haec, quas sector, opum sunt argumenta. valete
  Fasces, cum teneo pocula plena manu.

γ 1 Σωφροσύνῃ προφέρων.

Iustitia ante omnes praestantior atque pudore
  Dius Aristocles hac requiescit humo.
Si cui supra alios magnum sapientia nomen
  Fecit: maius habet, nec comes invidia est.

γ 9 Ἄβαλε μηδ᾽ ἐγένοντο.

O si nec tedae, nec lecti iura fuissent,
  Nulla puerperii tela tremenda forent.
Nunc sedet, et lentos expectat foemina partus,
  Ast duro exanimum ventre moratur onus.
Iam tres circumagens orbes lux explicat, ex quo
  Frustratur nascens irrita vota puer.
Sit tibi, chare puelle, levis non terra, sed alvus.
  Te premit haec, terra est nec subeunda tibi.

Νεκροδόχον κλιντῆρα. γ 10

Dum Philo sandapilam senio gravis aedibus effert,
  Exigua solitas ut stipe quaerat opes;
Iniusto sub fasce ruit. proclive caducae
  Momentum morti cana senecta dabat.
Sic quem saepe senex aliis portare solebat,
  Imprudens capulum sustulit ipse sibi.

Μορτάδα τὴν ἱεραῖς. γ 20

Mortas anus, quae tot duxi, dum vita manebat,
  Ad sacros Bacchi pocula plena lacus,
Pulvere non condor; tumuli vice suave peractae
  Vitae argumentum doliolum impositum est.

Τῆς πολιῆς. γ 20

Longaevae haec sunt busta Maronidos: inque sepulchro
  E silice est fabra sculptus ab arte calix.
Multibibax et multiloquax anus haec neque natis,
  Sed neque natorum paupere patre gemit.
Hoc unum est, quod flet vel busto condita; Baccho
  Vas habile hoc, Bacchi quod sit inane, gemit.

Μαρωνὶς ἡ φίλοινος. γ 20

Nex doliorum, temulenta hic conditur
Anus Maronis. sculptus est tumulo super,
Cunctisque noscitandus Atticus calix.
Nunc vel sepulta non viro aut natis super
Flet, quos reliquit rerum egenos omnium:
Illud flet unum, quod calix inanis est.

Ἡ Βρόμιον στέρξασα. γ 20

Quae Bacchum, quam quae nutrix lactaverat Ino,
  Plus dilexit, anus garrula, Aristomache,
Postquam mandata est tumulo, terramque subivit
  Mortua iam, multo iamque operata mero:
Huc Minos, ait, huc urnam mihi defer inanem,
  Ut rores haustos ex Acheronte feram.

Nam periit mihi virginitas. Haec falsa locuta est,
Dolium apud manes nempe videre volens.

γ 20 Οὐκ οἶδ' εἰ Διόνυσον.

Ergo utrum accusem, Bacchumne, incertus, an imbrem
Nescio. lapsantes fallit uterque pedes.
Ecce, redis potus dum rure, Polyxene, funus
Condere, laboso praecipitate iugo.
Aeolide et Smyrna situs es procul. Ebrius ergo
Quisquis erit, pluvium nocte veretor iter.

γ 20 Τὴν τίτθην Ἱέρων.

Hic Hieron amitam Silenida, pocula dura
Vincere quam duro non potuere mero,
Rure suo sepeliit functam: ut vel mortua, Bacchi
Nunc propius gratos stet tumulata lacus.

γ 22 Ἠπείρῳ μ' ἀποδοῦσα.

Exceptum terra, saevi maris improbe fluctus,
Iactas me ludum quisquiliasque tuas.
Naufragiumne uni mihi casso luce minatur
Terra, nec a scopuli mors mea tuta metu est?
Quin potius me condis aquis, vel reddis arenae,
Nec defraudatur funere terra suo?

γ 23 Αἶ αἶ νοῦσε βαρεῖα.

Ah ah dira lues, nam quae iuvenilibus annis
Invidia, aetatis perpete flore frui!
Nam prius orbasti Timarchum lumine vitae,
Quam nuptae potuit ora videre suae.

γ 32 Γαῖα μὲν ἐν κόλποις.

Terra sinu magni complectitur ossa Platonis,
Ast anima ordinibus sancta recepta Deûm est.
Cuius Aristo' pater, fruitur qui luce Deorum:
Quem bonus admirans vel procul omnis amat.

Αἰετὲ, τίπτε βέβηκας. γ 32

Cuius age insidis tumulo regina volantum?
  Curve Deûm aeternam suspicis astra domum?
Umbra Platonis ego: caeli hic ad templa volavit:
  Terrenum tellus Attica corpus habet.

Καὶ πῶς, εἰ μὴ Φοῖβος. γ 32

Ni Plato de Phoebo Graecis foret editus, ecquis
  Qui morbos animis arte levaret, erat?
Nam veluti morbos satus hoc Aesclapius omnes
  Corporeos, animae sic levat ipse Plato.

Φοῖβος ἔφυσε βροτοῖς. γ 32

Est Plato de Phoebo satus, est Aesclapius, ambo:
  Hic animi ut medicus, corporis ille foret.
Connubiale epulum celebrans migravit in urbem,
  Quam Iovis in patria condidit ipse sibi.

Θαῦμα τέχνης ταύρου. δ 8

Artis opus mirae species taurique virique;
  Vir taurum, tendens membra labore, premit,
Inflexa cervice, manuque obnixus utraque;
  Hac nares, illa cornua pressa tenet.
Iamque pedes labefecit. At haec vi victa domantur
  Sublapsi retro colla supina feri.
Si quid coniicimus (tanta est vis artis) anhelus
  Vir sudore fluit, spirat in aere fera.

Χείρ με Πολυκλείτου. δ 8

Salmoneus ego sum, Polycletae opus: ille ego magnus
  Salmoneus, telis qui Iovis obstrepui,
Rursus apud manes vexor. mutamque perosus
  Formam, fulmineo caelitus igne petit.
Parce animis, fulmen preme Iuppiter, en ego inane
  Signum, cum muto bella quid aere geris?

δ 8 Μὴ τρέσσῃς ὅτι τόξον.

Quod tensos arcus, infestaque tela, sagittas
  Ante meos posui cote subacta pedes,
Quod clavam gestat manus, hospes, parce timere,
  Quodque humeros pellis hirta leonis obit.
Ipse malos tantum, non omnes laedere novi,
  Et possum aerumnis eripuisse bonos.

δ 9 Στᾶθι πέλας, δάκρυσον.

Siste gradum, siste hospes, inexpletisque tuendo
  Magniloquae Niobes illacrimare malis.
Cuius humi telis natorum corpora bix sex
  Hinc Phoebus, Phoebi stravit at inde soror.
Ambiguae haec inter silicem carnemque figurae
  Fit lapis, et Sipylus caute sonante gemit.
Vis morbi in lingua est mortalibus insita. saepe
  Natum ex infreni garrulitate malum est.

δ 12 Κύπρις, ὅτε σταλάουσα.

Cum Venus aequorei spumis salis uda capillos
  Edita purpureis nuda nataret aquis:
Uvidulos roseo crines collegit ab ore,
  Et salsas guttas strinxit utraque manu,
Hactenus extando qua fas. Si talis in unda
  Visa fuit, Martis pectora turbet amor.

δ 20 Ῥώμη παμβασίλεια.

Te nunquam amissis fugiet Victoria pennis,
  Nec tua laus poterit, maxima Roma, mori.

ζ (1) Ἡδὺ μέλος νὴ.

Dulce sonant, mea Zenophile, tua carmina: docto
  Pollice, sic faveat Pan mihi, dulce sonant.
Quo fugiam te? me cingunt indagine amores,
  Nec respirandi tempus et hora datur.
Unde mihi formae haec aura appulit: aut ea Musa est,
  Aut Charis est: eheu, quid loquor? uror, amo.

Aliter.

Dulce sonas fidibus, sic dexter sit mihi Faunus,
Zenophila, arguto pectine dulce sonas.
Heu quo te fugiam? circunstant undique Amores,
Et respirandi copia nulla datur.
Hinc forma, hinc cantus, tuus hinc mihi se lepor offert.
Hinc (verum cuncta haec quid moror?) uror ego.

Νὴ τὸν Ἔρωτα. ζ (2)

Dispeream Heliodora, tuos ni audire susurros
Malim, quam citharae carmen Apollineae.

Τίς, ῥόδον ὁ στέφανος. ζ (3)

Bacchine ipsa corona rosa est, dic, anne coronae
Ipse rosa est? Minor est ipsa corona, puto.

Ὁ στέφανος περὶ κρατὶ. ζ (4)

Marcescunt sertae circa caput Heliodorae,
Est sertum serti sed tamen ipsa sui.

Ἤδη λευκὸν ἴον θάλλει. ζ (5)

Iam florent violae, atque imbri narcissus amicus:
Quaeque altis gaudent lilia cana iugis.
Et tempestivis iam florum flosculus annis,
Zenophile, Suadae floret amoena rosa.
Prata quid o vano florum gaudetis honore?
Suavior et ipsis sancta puella rosis.

Aliter.

Iam canae florent violae, pluviaeque sititor
Narcissus: florent lilia sparsa iugis.
Et vernae florum flos iucundissimus horae,
Zenophile, Suadae floret amica rosa.
Prata, quid, ah frustra florum ridetis honore?
Gratio est omni flore puella mea.

Πλέξω λευκόϊον, πλέξω. ζ (6)

Connectam violas, connectam mollia myrta,

Narcissum, et patulo lilia hiulca sinu,
Halantesque crocos, et purpureos hyacinthos,
Insuper et vernae florea serta rosae;
Ut tibi ab unguento caput, Heliodora, fragranti
Spiret odoratis apta corona comis.

Aliter.

Et plectam violas, et myrtis suavibus addam
Narcissum, iungam lilia hiulca simul.
Nectam suave crocum, texam vaccinia flore
Purpureo, plectam suavia texta rosae,
Ut madidae unguento tibi floribus undique inumbret,
Heliodora, tuas plexa corolla comas.

ζ (7) Φαμί ποτ᾽ ἐν μύθοις.

Iudice me, argutis sermonibus, ipsa, lepore,
Vicit vel Charites, Heliodora, suo.

ζ (8) Ὀξυβόαι κώνωπες.

Sanguinis humani sitientes, improba secla,
Apta alis paribus, vocifici Culices:
Zenophilae placidum liceat dormire soporem,
Carnibus interea vos satiate meis.
Sed quid ego haec dixi? frustra sum. Animantia tetra
Gaudent in teneram figere rostra cutem.
Ah, pecus implacidum, coeptis absistite. si non:
Zelotypas in vos instruet ira manus.

ζ (9) Πταίης μοι κώνωψ.

I, propera mandata, Culex. Velle ocius aurem
Zenophilae, et tenui haec murmure dicta sona:
Te vigil ille manet: tu lenta, veternus amantum,
Dormis. Eia, vola. euge, canore, vola.
Sed placide eloquere haec, ne forte vir excitus in me
Iram distringat, zelotypasque minas.
Quod si illam adduces, spolium tibi grande leonis,
Et manibus dabitur clava gerenda, Culex.

Νὴ τὴν νηξαμέναν. ζ (10)

Sic mihi caeruleo faveat Venus orta profundo,
Ut mollis molli proditur ore suo.

Ἐντὸς ἐμῆς κραδίης. ζ (11)

Te dudum vitae vitam, doctissima fandi
Heliodora, meo pectore sculpsit Amor.

Βοίδιον αὐλητρίς. ζ (12)

O Venus, emeritae, tibicina Boedion atque
Pythias, has zonas, has tabulasque tibi.
Institor et mercator, et unde haec cingula, et unde
Hae tabulae, potuit scire crumena tua.

Ἀνθοδίαιτε μέλισσα. ζ (13)

Cultrix floris apis, cur artibus Heliodorae
Insidens, natas vere relinquis opes?
Anne hoc significas, quod dulcia fellis amari
Corde sub infido spicula Amoris habet?
Anne hoc significas? hoc sic est, ut puto, sic est
Hoc. sed abi. iam sat novimus istud. abi.

Καὶ πυρὶ καὶ νιφετῷ με. ζ (14)

Me nive, me flammis, me fulminis igne lacesse:
Per iuga, per freta me, si lubet, alta trahe.
Non vincar; nam qui rapido torretur amore,
Non queat infesto, cum tonat, igne peti.

Aliter.

Me nive, me flamma, me, si libet, impete sacro
Fulmine. per praeceps, per maria alta rape.
Depositum curis, domitumque Cupidine saevo
Flamma nec a summo missa Tonante quatit.

Τὸ σκύφος ἡδὺ γέγηθε. ζ (15)

Suave renidet, et hoc uno se nomine iactat,
Zenophile admovit quod sibi labra, calix.
O si ductim animam nostram simul ebibat ipsa,

Consertis labris ad mea labra suis!

ζ (16) Κηρύσσω τὸν Ἔρωτα.

Acer Amor lecto paribus se sustulit alis
  Prima luce. Quis, o, dicite, vidit eum?
Dulce puer lacrimat: petulans, simumque renidet:
  Aliger: ex humeris picta pharetra sonat.
Sed patre quo genitus, nil dum scio. Lucidus aether,
  Terra ferum, et pontus progenuisse negant.
Oderunt omnes omnino. At quaerite, si qua
  Incautis animis retia tendit adhuc.
Atque eccum in latebris. Video, iaculator. in ipsis
  Zenophiles oculis, o fugitive, lates.

ζ (17) Πωλείσθω καὶ ματρὸς.

Vaeneat, et gremio requiescens matris in ipso:
  Vaeneat. indomitum cur genus istud alo?
Et simum, et volucre est, et acutos imprimit ungues,
  Et risu in mediis fletibus ora quatit.
Praeterea durumque, loquaxque, et lumine vibrans;
  Quem neque mansuetum dixerit ipsa parens.
Totus prodigium. Sed vaeneat. institor adsis.
  Si tibi mancipium cura parare, veni.
Flet tamen, ecce. Bono animo es. te non ego vendam,
  Hic cum Zenophila vive, simulque mane.

ζ (18) Εἶπε Λυκαινίδι Δορκὰς.

Dorcas, ei, quae se simulabat amare, Lycaeni,
  Dic, capta es; Patuit tempore fictus Amor.

ζ (20) Νὺξ μακρὴ, καὶ χεῖμα.

Nox media est et saevit hiems: media occidit undis
  Pleias: ego ad Dominae perpluor imbre fores.
Uror amore Helenes. Nam sunt ea tela doloris,
  Non amor, e rapido quae iacit igne Venus.

Αὐτοὶ τὴν ἁπαλήν. ζ (22)

Ipsi viderunt Irenii corpus Amores,
Et Cypriae thalamos destituere Deae.
Emendatum opus ad talos a vertice, signi,
Et castigatae virginis instar habens.
Hinc in mortales, nervo stridente, sagitta
Non una ex illo tempore missa fuit.

Ζηνοφίλα κάλλος μέν. ζ (23)

Concubitus Venus illecebras, Amor ipse decorem
Zenophilae, Charitum sal Charis ipsa dedit.

Ναὶ μὰ τὸν εὐπλόκαμον. ζ (24)

Per Timus tortos, qui me cepere, capillos:
Per Demus, somnos quae mihi membra fugant:
Iliados per ego illecebras, vigilemque lucernam
Hanc, mea quae madidi carmina multa bibit:
Parva mihi in labris nota vulneris, ecce, relicta est.
Quod si vis, modo dic, expuam et illud, Amor.

Τῷ θαλλῷ Διδύμη με. ζ (26)

Me rapuit forma Didyme. Ah ego tabeo cernens
Tale decus, qualis cera sub igne cadit.
At nigra est. quid tum? carbo quoque. Si tamen illum
Igne foves, fulget, lux ut hiulca rosae.

Λίσσομ' Ἔρως. ζ (27)

Te per ego nostrae supplex rogo carmina Musae,
Heliodora, meo pectore cedat Amor.
Perque tuos arcus, qui iam petiere nec ullum,
Tantum in me dociles mittere tela sua.
Si pereo, vocem testantia carmina linquam:
Aspicis, ut morti me dedit, hospes, Amor.

Aliter.

Si supplex te Musa movet mea, cura facessat,
Quam vigilem in nobis Heliodora serit,
Acer amor. Per te, per ego tua maxima tela,

Non alium, quam me, docta ferire, precor.
Sin morior, testes en istas linquo lituras:
Quantum homicida potest, aspicis hospes, Amor.

ζ (28) Εἰ φιλέεις, μὴ πάμπαν.
Quisquis amas, cave sis deiecto pectore fractus,
Supplicibus solvas flebilis ora modis.
Propositi solidi tibi cura sit, et tibi constent
Lumina contracto parca supercilio.
Nam nimis elatos contemnit foemina fastus,
Et nimis abiectum ridet amica virum.
Ille peritus erit, quicunque haec miscet, amator:
Et modico in fastu pectora fracta gerit.

ζ (29) Χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν.
Aureus intacti temeravit vincla pudoris
Iupiter, ut Danaes aerea tecta subit.
Fabula sic loquitur, me iudice. Ferrea septa
Omnipotens aurum, duraque vincla domat.
Hoc hoc nempe seras, hoc aenea claustra resignat,
Hoc frangit fastus, dura puella, tuos.
Hoc rigidam Danaen lentavit. si quis Amator
Fert pretium, tibi ne supplicet, alma Venus.

ζ (30) Τὸν σοβαρὸν Πολέμωνα.
Quod Polemo ille facit, Glyceres qui coniugis aufert
In scena crines, docte Menandre, tua:
Hoc novus instituit Polemo meus. ille Rhodanthes
Audaci cultas abstulit ungue comas.
Criminibus tragicis mutavit comica facta,
Inflixit tenerae verbera saeva cuti.
Ah scelus indignum! nostros miserata dolores
Quod tantum admisit turpe puella nefas?
Proh dolor! exsculpensque oculos radicitus ambo
Invidiae informes duxit in ore notas.
Si tamen is fuerit Misumenos: ast ego contra
Dyscolos, aspiciens nec Periciromenen.

Εἰ καὶ νῦν πολιή σε. ζ (31)

Quamvis cana aetas iam te tepefecit, et in te
Ille Cupidinei mucro furoris hebet:
Debueras iuvenum curas miserescere, eorum
Expertus noris cum, Cleobule, faces,
Nec super assuetis stomachari rebus, honestum
Foeminei capitis nec populare decus.
Ergo momento nunc illi versus in hostem es,
Quae te olim potuit patris habere loco.

Μέχρι τίνος. ζ (32)

Quatenus hoc, nobis ut suffuremur ocellos,
Alter et alterius lumina servet, erit?
Cura fatenda palam est. Si quis tamen hostis amoris
Aut dicto, aut facto vim parat atque dolum,
Ense malis nostris medamur. Scilicet una
Suavius est nobis vivere, itemque mori.

Εἴ ποτε μὲν κιθάρης. ζ (33)

Plectra gerens, citharae tetigit si fila canorae;
Aemula Terpsichores orsa canit fidibus.
Grandiloquam tragico vocem si rumpit hiatu;
Melpomenes bombos exprimit ore gravi.
Si mota est formae lis de certamine; victam
Cyprida vel iudex dixerit ipse Paris.
Sed melius taceam, ne Bacchus inaudiat, ac ne
Concubitus furient hunc, Ariadna, tui.
vel:
Rursus Ariadneos expetat ille thoros.

Φωσφόρε. ζ (34)

Parce Cupidineo, nec te vicinia Martis
Mitia dedoceat pectora, parce sacro.
Atque ut apud Clymenem servans Phaethonta decorum
Cursor ab exortu, Phosphore, lentus eras:
Sic, mihi quae cupido vix se offert, nocte sub ista,
Ut sub Cimmeriis, lente morare, precor.

ζ (35) Λῆξον Ἔρως κραδίης.

Cor solum et iecur excipias. in caetera membra,
Acer Amor, si vis mittere tela, licet.

ζ (36) Ἕλκος ἔχω.

Est mihi vulnus Amor. sanies mihi manat ab illo
Lacrima, inexhausto culpa liquore madet.
Respirare malum nec me sinit: ipse Machaon
Membra salutifera nec mihi mulcet ope.
Telephus esse volo, tu sis mihi fidus Achilles.
Curam, laesisti quae prius, ipsa leva.

ζ (37) Εἰπὲ τίνι πλέξεις ἔτι.

Dic cui dispositos properes ornare capillos?
Cui curare ungues, cui nitidare manus?
Cui colis excoctis conchylii pallia succis
Ebria, formosa tam procul a Rhodope?
Queis oculis mea te Rhodope non conspicor, illis
Usurpare diem non ego posse putem.

ζ (38) Τὴν Νιόβην κλαίουσαν.

Flentem olim Nioben contemplans forte bubulcus
Obstupuit, posset si lacrimare silex.
Contra tam longae gemerem qui noctis in umbra,
Euippae vivus non lapis indoluit.
Hoc facit acer Amor, curam partitus utrique:
Et Niobae a natis, et mihi ab igne meo.

ζ (39) Χρυσῆς εἰρύσσασα μίαν.

Legerat aureolo Doris de crine capillum,
Ex illo palmas vinxit utrasque mihi.
Risi equidem primo. nodos mihi Doridis illos
Visus erat facilis solvere posse labor.
Mox gemui, postquam non rupi vincula, tanquam
Artus strinxisset dura catena meos.
Et nunc infelix uno aptus crine, potentis
Imperio Dominae, quo trahit illa, sequor.

Ὁ πρὶν ἀμαλθάκτοισιν. ϛ (40)

Ille ego mente fera qui quondam pubere in aevo
  Flexanimis Paphiae legibus asper eram,
Ille Cupidineis impervius ante sagittis,
  Iam senior tua me sub iuga mitto, Venus.
Accipe me ridens. Non tam prius inclyta malo
  Hesperidum, quam nunc victa Minerva tibi est.

Ναὶ τάχα ταντελέης. ϛ (41)

Nae quaecunque videt Acheron spectacula poenae
  Tantaleae[,] nostris sunt leviora malis.
Nam nullo prohibente, suis tua labra, videns te,
  Consereret, verna lucidiora rosa,
Tantalus aerumnosus. At huic lapis imminet: illum
  Horret. Ita est. Iterum sed nequit ille mori.
At nobis vivis liquantur membra furore:
  Viribus exhaustis mors propiorque venit.

Ἐσβέσθη φλογεροῖο πυρὸς. ϛ (42)

Dilapsa est mea flamma, nec amplius aestuo morbo,
  In Veneris cineres sed tepefactus eo.
Ossibus et penitis nuda cute, mentis et imis
  Sensibus insinuans errat anhelus amor:
Victima sic postquam est in sacris igne vorata,
  Sponte suo residet, cum tepet esca, furor.

Ὤμοσα μιμνάζειν σεο. ϛ (43)

Iurabam sancte, bis sex, pro Iupiter et di,
  Lux mea, luciferos velle carere tui.
Non potui. Visa est lux longior altera bis sex
  Mensibus: adiuro teque tuumque caput.
Tu, ne perscribant ultricis in aequore chartae
  Hoc, quod iuravi, rite precare Deos.
Atque tuis mulce me, blanda, leporibus, ut ne
  Me superum perdant et tua flagra simul.

ζ(44) Διχλίδας.

Me verbis Galatea malis incessit, ut in me [et?]
Impulit iratas vespere saeva fores.
Hoc scitum frustra est, Iniuria soluit amores:
Nam furiis stimulos subiicit ille meis.
Annum iuratus dixi procul abfore ab illa;
Ast, proh di, primo hanc mane precator adı.

ζ(45) Ἦ σὸν ἔτι φθινόπωρον.

Et tuus Autumnus alieni Veris honores,
Aestates alias et tua vincit Hiems.

ζ(46) Κεκρύφαλοι σφίγγουσι τεὴν.

Reticulo crinis premitur tibi? Differor aestu.
Haec mihi turrigerae forma videtur Opis.
Intectum caput est? Mentem mihi funditus omnem
Excutit ex toto pectore flava coma.
Vela tibi condunt suspensos candida cirros?
Nihilo languidior cor mihi flamma coquit.
Tres formas stipat Charitum pulcherrima triga.
A totidem formis singula flamma fluit.

ζ(47) Φεῦ, φεῦ καὶ τὸ λάλημα.

Proh dolor, alloquiumque et visum livor ademit,
Tecta supercilio verba loquente sua.
Nos stantes propius nutus miramur aniles,
Lumina ut Inachidos multa bubulce tua.
Sta: circumspectans observa: ringere frustra.
Explorare oculis intima nostra nequis.

ζ(48) Ἀνέρα λυσσητῆρι.

Quemcunque appetiit rabidae canis acre venenum;
Hic videt in mediis spectra canina vadis.
Forsan et infregit genuinum percitus in me,
Sensibus et totis me spoliavit Amor.
Nam mihi salsa tuos referunt maris aequora vultus,
Fluminaque, et dulci pocula plena mero.

Μηκέτι τις πτήξειε. ζ (49)

Frustra aliquis paveat fera tela Cupidinis. Ille
Totum in me pharetrae iam vacuavit onus.
Frustra etiam assultus alarum. Nam mihi postquam
Impositus pedibus pectora pressit Amor,
Firmus inhaerebit, stabilisque: neque inde facesset,
Quando in me pennas abscidit ille suas.

Οὔτε ῥόδον στεφάνων. ζ (50)

Ut rosa non minor est serto: sic vestibus ipsis
Non es, gemmatis reticulisve minor.
Candorique tuo baccata monilia cedunt,
Impexisque auri flava nitela comis.
Inde quidem rutilos hyacinthus fulgurat ignes,
Luminibus cedat sed tamen ipsa tuis.
Roscidulum decus oris, et emendata loquelae
Suada tuae, Veneris quid nisi cestus is est?
Cuncta haec me furiant. sed me solantur ocelli:
In quis spes sedes fixit amica suas.

Τὴν πρὶν ἐνεσφρήγισσεν. ζ (51)

Illa tui vultus quondam praesentis imago
Quam prius in nostro pectore sculpsit Amor,
Expuitur tibi: me miseram: verum una decoris
Corde meo species stat mihi scripta tui.
Scilicet hanc Orco, hanc ostendam, barbare, Soli,
Criminis ut vindex Cressa sit urna tui.

Δηθύνει Κλεοφάντις. ζ (52)

Ut cessat Cleophantis? adhuc iam tertia coepit
Lumine languidulo parca lucerna mori.
Ah pereat cordis sic flamma, ut flamma lucernae:
Nec me pervigili torreat illa face.
Ah quoties Venerem iuraverat affore, primo
Vespere? nil homines, nil facit illa Deos.

ζ (53) Χθιζά μοι Ἑρμώνασσα.

Dum forte hesterno titubans vestigia potu
  Vestibuli primas induo serta fores,
Hermonassa scyphi lympha me spargit: et illas
  Turbat, quas vix lux struxerat una, comas.
Sed magis ustus aqua magis arsi: nam scyphus ex hac
  Mellito tacitas duxit ab ore faces.

ζ (54) Φράζεό μοι Κλεοφάντις.

Aspice; quale decus, quae laus, Cleophanti, duorum est,
  Quos pariter rapido turbine versat Amor.
Quae belli vis, quisve metus, quae causa pudoris
  Hos dirimat sanctis nexibus implicitos?
Dentur vincla mihi, quae Lemnia fabricat incus,
  Quosque vafra nodos Mulciber arte facit:
Dummodo te amplectens cupidis, mea Vita, lacertis
  Perfruar in membris gaudia longa tuis.
Tunc tunc hospes, et indigenae, fessusque viator,
  Me videant, et cum coniuge sacrificus.

ζ (55) Ἐξότε μοι πίνοντι.

Ex quo olim potans mecum potante Chariclo
  Ingessit furtim propria serta mihi,
Totum ignis me exest. In ea, puto, namque corona
  Id, quo arsit Glauce nata Creontis, erat.

ζ (56) Ὁ θρασὺς ὑψαύχην.

Cervice elata, contracta fronte, severus,
  Nunc est virginei ludicra cura ioci.
Ante ratus teneram tumidus laesisse puellam,
  Colla dedit: nunc spe decidit ipse sua.
Is modo femineas supplex iacit ore querelas:
  Illa mares animos lumine torva gerit.
Virgo ferox, quamvis irae est iustissima caussa,
  Parce animis: Nemesis tela propinqua time.

Εἰ καὶ τηλοτέρω Μερόης. ζ (57)

Tu licet ulterius Meroen vestigia figas:
  Illuc pinnigero vectus Amore ferar.
Tuque petas ortus, quos concolor inficit Eos,
  Immodicis spatiis vel pedes usque sequar.
Nec minus hoc, quod do, nobis placare marino
  Munere: namque tibi hoc fert Venus orta mari:
Quae abiecit, quaecunque fuit fiducia formae:
  Atque nitore tuo dat tibi victa manus.

Ὀφθαλμοὶ, τέο μέχρις. ζ (58)

Quis modus, o oculi, ducendi nectar Amorum
  Cum formae sitis est ebria flore mero?
Ah procul aufugite hinc quantum pote. Cypridi sanctae
  Tranquillo faciam sobria sacra mari.
Sin illic furor is, si me furor is manet illic,
  Perpetuum madidi fletibus este meis,
Solventes poenas merito pro crimine, quando
  Ob vos in tantum crevimus ignis opus.

Ἱππομένην φιλέουσα. ζ (59)

Hippomenem ardebam: in tenerum mens versa Leandrum est.
  In labris haerens fixa, Leandre, tuis,
Xanthum mente gero. Xanthum complexa fovensque,
  Hippomenem reduci perdita corde peto.
Praesentem fugio. Sic alternantia semper
  Atque alium atque alium brachia nostra virum
Ditem inhiant Venerem. Quod si qua mihi obiicit illud,
  Haereat haec uni pauper inopsque viro.

Τὸ στόμα ταῖς. ζ (60)

Os Charitum illecebris, at frontem floribus ornas.
  Exornant Veneres lumina, plectra manum.
Praedaris visus oculis, accentibus aures;
  Venatur iuvenes pars quotacunque tui?

ζ (61) Τὸ ξίφος ἐκ κολεοῖο.

Ensis vagina cur stringitur? haud ut iniquus
  Sim Veneri: adiuro teque tuumque caput.
Sed Martem ut, quamvis immani pectore, noris
  Sub Veneris molli ponere colla iugo.
Iste mei desiderii est comes. Haud opus ullo
  Est speculo. Hunc versans consulo semper ego.
Pulcher in hoc videor mihi. Sed si linquis, amica,
  Nos prius, hic ensis induet ile meum.

ζ (62) Τῷ χρυσῷ τὸν Ἔρωτα.

Auro sollicitatur Amor mihi. Nam neque aratro
  Possunt, nec duro mella ligone coli,
Sed tempestiva verni vi roris. At aurum
  Omnimode Veneris dulcia mella colit.

ζ (63) Κιχλίζεις, χρεμέτισμα.

Hinnitu Veneris proludens bella fritinnis.
  Furtivo adnictas numine. cuncta moves.
Frustra, iuro, oculis te non visurus, amori
  Indomitam. lapidem ter quoque iuro Iovem.
Lude tibi. te suavioli poppysmate ducta
  Illis, quae nulli nuda labella seres.

ζ (65) Πᾶσαν ἐγὼ τὴν νύκτα.

Tota mihi in gemitu nox vertitur. Ast ubi venit
  Dans minimum mihi lux prima quiete frui,
Circum perque strepente citamur hirundine. somnos
  Abrumpens, lacrimas integrat illa mihi.
Quid mihi vobiscum est? absistite garrula turba.
  Non, Philomela, mihi lingua resecta tua est.
Flete Itylon duris in montibus, atque sedete,
  Scruposam cautes qua dabit alta domum,
Dormire ut liceat. Surrepens forte Rhodanthes
  Amplexanda mihi brachia, Somne, dabis.

Σώζεο, σοὶ μέλλων ἐνέπειν. ζ (66)

Dicturus tibi, Vita, vale, vocemque citatam
  Refraeno, rursus sustineoque gradum.
Utque olim niger ille dies Acherontis amari,
  Sic mihi discidii caussa timenda tui est.
Vultus enim tuus est lux altera. Lux tamen omni
  Voce caret. Contra, tu mihi verba refers
Dulcia Sirenum cantu magis, e quibus omnis
  Pendula spes animae statque caditque meae.

Εἰμὶ μὲν οὐ φιλόοινος. ζ (67)

Non sum vinosus: vin' me deponere vino?
  Hac, si tu libes pocula, lege bibam.
Admoris tua labra, nequibo sobrius esse:
  Nec fas temeto posse carere mihi.
Nam transmissa tuis ad me fert suavia labris
  Ille calix, narrans dona superba sua.

Μήποτε λύχνε μύκητα. ζ (68)

Ne quis concretus tibi fungus convocet imbres:
  Vir venit: huic nullas necte, lucerna, moras.
Nulla faves Veneri. Nam cum condixerat Hero
  Leandro — ah, anime, caetera parce loqui.
Vulcano servis. Hinc, ne adverseris herili
  Curae, tu Veneri semper iniqua manes.

Τί στενάχεις; φιλέω. ζ (69)

Dic agedum, quid suspiras? Amo. Quamne? Puellam.
  Pulchram? Pulchra oculis est ea visa meis.
Ast ubi visa tibi est? Ad coenam forte vocatus
  Vidi, communem presserat illa torum.
Spes est posse frui? Spes, o bone. Denique aperte
  Non amo. Furtivas venor amicitias.
Legitimos thalamos fugis ergo? Vera putasti.
  Quod sors huic parvas nempe reliquit opes?
Omne tenes. Igitur nec amas bene? Fallere. Nunquam
  Recta putans animus impatienter amat.

ζ (70) Δισσῶν θηλυτέρων.

Forte duas inter solus, mediusque sedebam:
  Illam ardebam, hanc non laedere certus eram.
Meque trahebat amans: ego furabundus at isti
  Non totis labris oscula parca dabam:
Alterius fallens ardorem scilicet, eius
  Discidii caussas aemula verba timens.
Ingemui, dixique simul, Fortassis amari
  Undique supplicium par, et amare, mihi est.

ζ (71) Ἡ πάρος ἀγλαΐῃσι.

Illa prius fastu turgens, iactare capillos
  Sueta prius, pexis illa superba comis,
Sueta meis desideriis illudere, formam
  Perdidit: huic digitos ruga senilis arat.
Ubera subsidunt, cecidit frons, lumina marcent,
  Annoso titubant balba labella sono.
Caniciem vindex voco numen Amoris. et aequum
  Iudicat, et tumidis strenua poena venit.

ζ (72) Αὐτή μοι Κυθέρεια.

Et Cytherea potens, et Amorum candida turba
  In tabem solvent iam cor inane mihi.
Non patiar, pueros propero si stultus amare:
  Labe etiam, qua non turpior ulla, cadam.
Una sit in culpam mulier satis: hac ego peccem,
  Pittalace. At pueros, stulte, relinquo tibi.

ζ (73) Ἦ ῥά γε καὶ σὺ Φίλιννα.

An desiderio mea tangeris ergo Philinna?
  Langues exhaustis tabida luminibus?
An placidos carpis somnos, et nullus Amoris
  Respectus: curae cura nec ulla meae est?
Expectant te saeva vices, flentemque videbo
  Imbre per indignas usque cadente genas.
In multis Venus est varium et mutabile. solo hoc
  Eximia: elatis semper iniqua fuit.

Ἡ ῥαδινὴ Μελίτη. ζ (74)

Nondum etiam senii sub limine, puberis aevi
Interiit, Melite, gratia prima tui.
Malarum sed adhuc splendet nitor. eminet illex
Vis oculi. Annorum est sed neque summa brevis.
Atque puellaris manet illa protervia. Ob istud,
Tempus naturam vincere posse, nego.

Σπεύδων εἰ φιλέει. ζ (75)

Experiens, quam me non segniter ardet Ereutho,
Sic ego cor ficte compositisque dolis
Adgrediebar: Ego dicam: Iam migro: peregre
Ibo: Vale, ac nostri vive, puella, memor.
Ingemuit, neque sustinuit, frontemque ferivit,
Et cirrum e torta discidit ungue coma,
Ut maneamque rogat. Fracto non tardus ocello
Credere, do victas utilitate manus.
Sum felix voti. Nam quod fecisse volebam
Officium et munus hoc quasi grande dedi.

Ὑπομνηστικόν. ζ (76)
Ἐνθάδε μὲν χλοάουσα.

Hic ager umbroso ramorum tegmine vernans
Fructiferae frondis explicat omne decus.
Hic clangit versus cupressorum inter opacos
Pullorum mater rauca cohortis avis.
Fulgetrum, tonitru, fulgur, Iovi' progenerator;
Audi me Volturne, et da usurpare salutem,
Et pacem diam, et bona adorea divitiarum.

15 *Iunonis suffimen, aromata.*
Caeruleis innixa sedilibus aeriformis,
O Iuno regina, Iovis ditissima coniux,
Quae mortalia corda veges animalibus auris.
Nimborum mater, ventorumque omnigenitrix.
Nam sine te non est vitae spirabilis ardor:
Omnibu' participas immissa potentibu' auris,
Omnia sola tenes, atque omnibus incluta regnas.
Aeri' praecipitans stridore fluonia Iuno.
Sed te Diva parens obtestor, adorea, Maia,
Huc sodes venias volti ridente lepore.

16 *Neptuni suffimen, murra.*
Audi Neptune, Ambarvalis, Salsicapille,
Trossule, fuscinam habens manibus Neptune tridentem:
Caerula concelebrans vasti fundamina Ponti,
Ponti praetor, aquigrume, crepe, Terripreme acer,

Undifluens, et rava tuens, agitansque quadrigas,
Expergefaciens vegeto vada salsa tremore:
Tertia quoi sorti cessit tutela marina,
Scamigerum pecu amans, et aquas sali', caerule Die:
Siste statum terrae, aspirans bona navibu' flabra,
Pacemque atque salutem addens, et opum aurea dona.

In Vaeiovem, carmen. 17

Magnanime, induferûm pervolgans fulva silenta,
Tartarea atque crepusca, oblitera prata tenebris,
Tellumo Vaeiovis, arferio te hoc munere macto.
Dis qui cardineus Terrae cluis omniparentis:
Saecla nimis ditans mortalia frugibus hornis,
Tertia quoi sorti tutela obvenit Averni,
Caelituum solium, firmum stabilimen homonum.
Qui solum habes, ad castra obnubila, senta tenebris,
Longinqui, aeterni, et inexorabilis Orci,
Atque Acherunta atrum, terrai immane statumen:
Iura tenens hominum Mortai munere, sancte,
Conse, Deae Cereris pueram qui victus amore,
Gramineo raptam prato per caerula ponti
Quadriiugo avexisti equitatu ad Atthidis antrum,
Gentis Eleusinae: ubi sunt spiracula Averni.
Unice nota Deus censens ignotaque rerum.
Cerite, induperans, sanctissime, compos honorum,
Vatibu' praestitibus gaudens, et cultibu' sanctis:
Mitis ades, rogo te, laetus venerantibu' turbis.

Tonantis Iovis suffimen, sturacem. 18

Iuppiter, altisoni torquens loca flammea mundi,
Fulgetrarum animas crispans petulantibu' flammis,
Coelituum sedes conquassans fulmine sacro,
Flammigeris stringens streperos torrentibus ignes:
Tormina qui, nimbos, rubra tela, tonitrua bruta
Vibras, involvens animata rubentibu' telis,
Flammivoma, et perterricrepa, ir[r]itata ruinis,
Praepes, ovans telum, cordigrumum, horricapillum.

Insperatum, ardens, victricis missile dextrae,
Omnivorum insano plangens horrore tumultum,
Indomitum, horriferum, candenti flamine praeceps.
Caelivagum telum, velox, Iovis Elicii arma,
Quem tremit omniparens Tellus, quem marmora salsa,
Vivaque saecla, sonor tergens cum personat aures:
Luminibus fulgit species, rubra fulgura splendent
Aeris in caulis, et tenuia tegmina scindens,
Obnupti Coeli candentia fulmina torques.
Ast o Die, effunde iras apud aequora salsa,
Et montana iuga: haud tua robora magne latent nos.
Sed faveas sacris, et mentibu' grata repende
Vitai bona cara, vigentia regna salutis.
Et pacem Divûm, nutricem semper honoram:
Et victum aequanimis semper rationibus aptum.

19 *Iovis Fulgetrii suffimen, libanomanna.*
Obtestor magnum, perterricrepum, manifestum,
Aerium, flammantem, ignicreperum, aerilucum,
Nubium instigantem aestus singultibu' brutis,
Horrendum, insanum, indomitum, lustrabile numen,
Fulgetrumque Iovem induperatorem, omnigenentem,
Tradere inoffensae vitai terminum amoenum.

20 *Nebularum suffimen, murra.*
Aeriae nebulae, aerivolgae, frugiparentes,
Imbriparae, per mundum agitatae ingentibus auris:
Fulmineae, ignitae, streperae, atque humectivagantes,
Aeris in gremio hortantes inamabile murmur:
Flaminibus pulsae stridentes impete magno.
Nunc vos roscidulae obtestor spirantibus auris,
Praecipitare imbres in terram frugiferentes.

21 *Divae Veniliae Salaciae suffimen, libanomanna.*
Oceani inducalo te glauca Venilia proles,
Caerulipalla, vagans loca per laetantia Ponti,
Am terrae finis exercita suavibus auris,

Murmura pulvinis ripae alludentia frangens:
Atque exercitiis sudis pellacibu' ludens,
Navibus exultans, pecorosa loca humida lustrans.
O mater Veneris, nebularum mater ovantum,
Et fontium omnigenum, liquentum suavibus undis:
Huc adsis nobis, et blanda illabere votis,
Navibus immittens animarum flamina suda.

Terenti Consi suffimen, murra. 22

O qui salsa tenes liquidi penetralia mundi,
Quinquaginta una pusis per caerula gaudens,
Coetibu' virgineis, genius maris alme Terente:
Fundamen mari', margo terrae, principium omnium:
Qui moliri' statum terrae, cum scilicet arces
In caveis olim indignantes murmure Cauros.
Sed motus terrae averrunca, et mitte ministris
Flaminibus, pacemque et opes, ditemque salutem.

Salaciarum Nerienum suffimen, aromata. 23

Pullae caeruleae, liquidi gens blanda Terenti,
Aedicolae, Latiae, ludicraeque, fluitantes;
Quinquaginta vago fatuantes marmore pusae
Tritonum currus sectantes pone, inhiantes
Semiferis Geniis quos vitreus educat humor:
Atque aliis quicunque colunt liquentia castra,
Undicolae, Salii, lustrantes agmina aquarum,
Undivagi, liquidi Delphini, glauca tuentes,
Vos oro magnam copem rem cette Camillis.
Nam vos festa coegistis Comitia primae
Liberi augusti, et Liberae augustai,
Lucinia cum matre, et Apollinere induperante.

Iani Maii suffimen, sturacem. 24

Te calo naturae salsae Maium aedituentem,
Primigenam, qui naturam egit in ordia prima,
Omnimodis mutans sacra foedera materiai,
Famiger et Consentis, callens omnia quae sunt,

Antideaque fuere, et mox ventura trahentur.
Nam natura prior Maio omnia commendavit.
Quare o nobis auguriis veracibus adsis,
Dans placidam vitae finem felicis habere.

25 *Telluris suffimen, omne semen, praeter fabas et aromata.*
Tellus Ops, mater Divorum et mater homonum,
Altrix, percoquifrux, intercidonea, larga,
Conflua atque adolescens, polcris frugibus augens:
Aeterni mundi fundamen daedala virgo,
Quae varias edis fruges maturrima partu:
Anna, paranna, augusta, empanda, opulenta, beata.
Suavifero exultans gemmanti gramine Dia,
Imbriprocax, circa quam signitenentia castra,
Et coelum aeternis vicibus torrentibu' fertur.
Diva parens auge terrae viridantia foeta,
Clara, favente animo, cum Temperiabus opimis.

26 *Matris Deum suffimen, varia.*
Mater cunctorum augustissima Caeligenarum,
Huc sis Maia Dea, confer ted ad tua sacra,
Taurivomos iungens citimos ad carra Leones.
Aeterni regina covi, celeberrima, honora:
Quae media mundi stas fornice, quod bona terram
Ipsa tenes, homines lactans Dea cicure pastu.
Ex te Caeligenarum, ex te mortalium origo est,
Et liquens natura tibi fluit, et maris humor.
Vestam te vocitant, atque Assidua indigitaris,
Quod duis humanis polcralia adorea multa.
Vise tuos castus, o candida tumpanicultrix,
Victrix, sospe' Phrugum, Saturni maxima coniux,
Moesia, Coeligena, nutrix, fanatica Dia:
Laeta adsis gratans festis rata cultibus signa.

27 *Mercurii suffimen, tus.*
Maiai stirps alma Iovisque, accense, viator,
Magnanimum cor habens, quinquertio, censor homonum,

Vinule, Multivole, internuntius, Argilethe,
Alipes, et mortalium amor, sermoni' minister:
Quem fraus, quem certamina adulant, almifer omnium.
Interpres variae linguai, Nundine Liber,
Sanguineum gestans caduceum pacis amice
Frugi, Coruciota, Locuteie, Aie, beate,
Atque operum Titule, et Titane necessibu' rebus:
Et mortalibu' praesidium venerabile linguae;
Adsis oranti vitae addens exitum amicum,
Cultu operum, memori menti, sermonibu' lectis.

Carmen Liberae Proserpinae. 28

Libera magnanimi Iovis adsis incluta proles,
Unigena princeps, esto hoc libamine macta:
Coniux Ditis honora, boni largissima victi:
Quae sub visceribus terrae dominaris Averno,
Parica, et cincinna, Iovisque insigne propagmen,
Manarum genitrix, Iovis infernati' tribuna.
Quam pusam arcano Iovi' semine progeneravit.
Mater multicrepi Volturni maxima Consi,
Lucina speciosa, et percoqua Temperierum,
Seria, regnatrix Larunda, frugibu' gliscens,
Corniger, illustris, mortalibu' grata virago,
Flora, gramineae quam oblectat spiritus aurae,
Corpu' tuům oblectans Terrae viridantibu' foetis,
Nummeria et foeta, Autumni sub tempore nubens,
Vita, itidem mors sola eadem mortalibus aegris,
Fordicida, etenim fers omnia, et omnia caedis.
Huc hera sis, fruges e terra funditus educ:
Blanda pace vigens, illibataque salute,
Et vita fausta mitem legante salutem,
Ad tua templa Dea, et potis indufera atria Ditis.

Liberi Patris, sturaca. 29

Liberum ego veneror, crepericreperum fatuantem,
Primigenam, geminum, Brumalem, terque renatum,
Cornigerum, agrestem, obscurum, arcanum, duiformem,

Cinctum ederis, taurifrontem, Mamertium amoenum.
Baiule, trime pater: vestifrondem, uvigerentem.
Consentis, Consul Iovis, et Proserpinae opacae,
Editus arcano nixu purissime Die:
Annue suppliciis, et blando numine sponde,
Mitem animum spirans, cinctutis proximus assis.

30 *Carmen Saliorum.*

Amburvatores, vestigia ahena prementes,
Collini Salii, Salisubsuli, et fatuantes,
Pulsifides, et talipedi, leue persultantes,
Armigeri, vigilesque, magistrique ominifausti,
Matri' Iugatinae latrones atque Camilli,
Augusti ad sermonis adeste faventiam amicam,
Et semper placata occurrite mente bubulco.

31 *Carmen Minervae Captae.*

Magnanimi Iovis unigena stirps, Dia Minerva,
Dia beata, ferox, bellicrepa, Neriene,
Dicta indicta, itidem celeberrima, et antricolona:
Concelebrans ruptas scruposa palatia cautes,
Deliciasque tuas, viridaria montium opaca,
Armipotens, furiis figens mortalia corda:
Torvo animorum exercitio Bellona virago.
Atriparens, tedarum expers, Gorgonitrucida.
Tu Furia infandûm, sapientia sola bonorum,
Mas et femina Belliparens, indostrua tota,
Vortumna, atque excetra ferox, fanatica, honesta,
Ultrix Titani, Phlegrensis, equiria, volgi.
Capta, malae noxae Averrunca, Feretria virgo.
Iam lucu, noctu, supremo in tempore quoque
Annue adoranti, et pacem largire beatam,
Temporibus faustis, satiatemque atque salutem,
Caesia, et artiparens, multum votita Camilla.

32 *Divae Victoriae suffimen, manna.*

Obsecro te Victoria pos, gratissima rerum,

Endo procinctu cernentia quae agmina ferro
Et rixam luis alterutris ex partibu' pugnae,
In bello cernens, ut quis palmarium adeptus,
Quis tu cumque favens praestas dulcissima vota.
Omnia nam moderare, et grandis adorea belli
Tota ex te pendet, laetis vitulantibus augens.
Quare huc sis venias, cupienti Dia Dearum,
Semper praeclaro iungens operi agmina laudum.

Apollini suffimen, manna. 33

Februe te Iuturne precor, Tituicida, Luperce,
O Memphita, verende, salutifer, altor honorum,
O fidicen, Consive parens, Titane, Segeste,
Soriculate pater, Vaticane, excetricida,
Lucifer, agrestis, rex mustule, nobili' pubes,
Praesul, Casmoenisque sagittifer, arcitenensque,
Brume pater, collimatorque, obstite, gemelle,
Delie rex, qui illustrem aciem huc partiris et illuc,
Auricome, integra praecepta atque oracula fatans:
Pro populo orantem me coelitu' vise parumper:
Nam susum aspicis immoderata haec aequora caeli,
Et supera terras et noctem subter opacam,
Nocte silente, sub umbrae signitenentibu' flammis.
Radices statuisti infra: tibique extima mundi
Et tibi principium, tibi solvitur exitus omnis:
Omnivirens, fidibus tu coelica templa canoris
Permoderaris ad imae nunc confinia sedis,
Nunc ad primam iterum, nunc ad modulamina Dorii.
Coelum omnem varians, varias animantia secla,
Temperiis hominum moderans, aequalia fata,
Tantundem miscens hiemisque atque aestuis iisdem,
Discernens primis hiemem, inferioribus aestus,
At veris grati speciem modulamine Dorii.
Unde homines ted indigitant cognomine vero
Faunum cornigerum, ventorum sibila hiantem:
Quod magni omnis habes signacula daedala mundi.
Huc adeas here flaminibus pro supplice voto.

34 *Latonae suffimen, murra.*
O Latona gemellipara, trabeata, verenda,
Nerio Coeantis, multum votita, modisque
Morigeris, Iovio partu ditescere dulci
Promerita es, Februum Ianamque sagittipotentem
Progenerans, hunc in Delo, eam in Ortygia alta.
Ergo huc adventes praesenti numine Dia,
Huc ades, et sacro sis felix pandiculari.

35 *Deianae suffimen, manna.*
Huc, huc o regina, Iovis celeberrima virgo,
Libera, famigera, Titana, sagittipotensque,
Venatrix, Lucina parens, manifesta, parunda,
Partubus adiutrix maturis, partubus expers,
Cinxia, curifugax, ceritaque, vertagiduca,
Noctuvolga Dea, arcitenens, venatica, pernix,
Verrunca, et Beneventa, Calendaque, masculiformis,
Porrima, nummenia atque hominum sanctissima nutrix,
Summana, agrestis, fericida, beata, locuples,
Quae lucos habitas, castissima, cervitrucida,
Regina augusta, et viridi spectabilis aevo,
Cudonis, Vortumna, Canaria, fagutalis,
Huc venias huc Diva, tuis et sospita et alma
Praestitibus ducens terrai pignora adulta:
Donaque pacis amoenae, polcricomamque salutem:
Inque altos montes protela funera, morbos.

36 *Titanorum suffimen, tus.*
Titani terrae et coeli illustrissima stirpes,
Nostrorum proavi patrum, intra Tartara regna,
Aedibus horrificis terrae intestina colentes,
Principium et semen cunctis animantibus aegris,
Aeris et maris et terrai frugiferai:
Ex vobis siquidem generatim est omni' propago.
Vos veneror, iras averruncassere iniquas,
Si quis ab indufero nostra incubat aede Senatu.

Saliorum suffimen, tus. 37

Aericrepi Salii, ancilia Martis habentes,
Aeris, et terrae, et maris indigetes opulenti,
Terrarum tituli, genitalia semina mundi,
Quique Samothracen habitacula sacra colentes,
Casibus eximitis per caerula velificantes:
Vos primi sacrum mortalibus instituistis,
Aeterni Salii ancilia Martis habentes:
Oceanum quatitis, quatitis mare, roboraque alta.
Terrae insultantes pedibus strepitis, rutilantes
Gestibus arma: tremunt animantia secla ferarum,
Et fragor et fremitus pervolgat caerula coeli.
Et glomerante pedum sonitu stant pulvere nubes,
Et florum species viridantum verna patescit.
Aeterni genii, atque Ioves et Vaeiove' quando
Torva inimiciter occurrunt mortalibus ira,
Vastantes victumque et opes, ipsosque nocentes.
Inde loci magno crebrescunt murmura ponto,
Stirpitus et quercus procumbunt aequore campi,
Parmarum flictu caelesti' resultat imago.
O Salii, atque potes Salisubsuli, induperantes,
Indigetes, Samothracii, et incluta Diiovi' proles:
Aeterni flatus, animales, aeriformes,
Quique etiam gemini per caeli templa cluetis,
Spirantes, sudi, mitesque salutiferique,
Temperii, Autumni, Divi, medioxumi, anheli.

Divi Inui Lucumonis suffimen, tus. 38

Induperatorem magnum telluris adoro,
Invisumque Inuum, felicemque, atque Quirinum,
Nocturnum Lucumonem, obicem larvatilis umbrae,
Terriculi auxilium: desertaque concelebrantem.
Incubum, item geminum Volturnum, multivolumque,
Sanguineum, atque utriusque cruentum vulnere fratris:
Numine qui Cereris mutasti corpus amoenum,
Terrificae excetrae insinuans serpentia membra,
Vota lubens audi, creperosque averte timores,

Sistens obscoenas species crucias animorum.

39 *Cereris matris Eleusiniensis suffimen, sturaca.*
Alma Ceres mater Divûm, celeberrima Dia,
Rumia, sancta Pales, copis largissima victi,
Omnia dans, fruges, et opes, Pomona, Segesta,
Tantum concelebrans pacem, agricolasque labores:
Semona, Accumula, tritutrix, frugiparensque,
Quae augustae sacraria Eleusinis dominaris.
O iucunda, benigna, hominum placidissima nutrix,
Quae prior agricolas iunxsti sub plaustra triones,
Illecebris mitem edulcans mortalibu' victum:
Aevi adolescens, Brumorumque sodalis, honora
Lucia, taedigerens, messorum falcibu' gaudens.
Tellumo tu, tuque illustris, tuque omnibu' ridens,
Proletaria, amans natae, Dea Rumia nutrix,
Quae biiuges auriga iugans ad frena colubras,
Amfractu circaneo ovas tua am sola sancta.
Unigena, et forda, atque hominum augustissima cura,
Quoi sunt omnigena et quoi frugiparentia volta.
Ergo huc spicigerente gravescens munere adesdum,
Adducens pacem et legum concordia iura,
Fertileque uber opum, et pollentia dona salutis.

40 *Empandae matris suffimen, aromata.*
Omnipotens Empanda parens, celeberrima Dia,
Mater Coeligenûmque Deûm, et mortalium homonum,
Quae olim errans desiderio perfixa nitenti
Solata es in Eleusinis ieiunia valle,
Furva obiens Proserpinae omnipotentis Averna,
Ipsa ducem offendens purum non pura puellum,
Narrantem inferni connubia Diiovi' sancti.
Quae Consum paris icta humani volnere amoris.
Te multum votita precor sanctissima mater,
Huc tuo adventare faventem dia Camillo.

Ambiguae Bigeneris suffimen, sturaca. 41

Accinctum ferula te legifer incalo Brume,
Aeternum magni numen memorabile Consi,
Pura, sacer, bigener, Regina indicta, virago,
Mas eadem, mulierque bimembris, Libera, Bruma.
Sive in Eleusinis templo laetaris odoro,
Sive etiam in Frugia cum matre arcana agi' sacra,
Sive etiam in Cupro degis cum Murtia amoena.
Vel si frugiferis persultas pabula campis,
Cornigera cum matre tua Deus Iside sancta,
Cumque assis famulabus, ad alma fluenta Melonis:
Adsis diva favens ob rerum praemia sancta.

Temperiarum suffimen, aromata. 42

Temperiae, Iovis et Iuritis sancta propages,
Aurea lex, et fas, et pax ditissima rerum,
Vernae, gramineae, puraeque et multivirentes,
Omnicolores, suavehalantes spiritu amoeno,
Temperiae virides, vortentes, et speciosae:
Pallas indutae sertis pubentibus aptas,
Congerrae Proserpinae, ubi eam solemnibu' Parcae
Staticulis luci revocant et Gratiae ovantes.
Diiovis imperiis, et Matris opiconsivae;
Huc mites ad sacra pia instaurata venite,
Ducentes foecunda propagmina tempestatum.

Semelae suffimen, sturaca. 43

Elicio pusam, prognatam principe Cadmo,
Formosam Semelam, cincinnam, vestifluamque,
Et matrem Brumi laetabilis, et ferulati.
Fulmine quae sacro foetum exterraneum abegit,
Aeternis Iovi' consultis enixa puella:
Quam dignata gravi est florens Proserpina honore,
Inter mortales trima ad comitia festi:
Quando tui Brumi referunt genitabile germen,
Anclabram sacram, et rerum haud arcana profunda.
Te Dea patritia obtestor sata principe Cadmo,

Flaminibus leni et praesenti numine adesse.

44 *Carmen Bassarii Patris Brumi Triennalis.*
Liber ted oro, sate fulmine, corniger adsis,
Bassare, Brume pater, celeber Deus induperator,
Quem oblectant enses, pilenta, sacraeque ministrae,
In coelo vitulans, insane, crepicrepe Brume,
Instinctor furiose, supremis numen honorum
Terraique sacrae mortalibus inducolonis;
Adsis gaudia laeta ferens salisubsule Die.

45 *Velabri Patris suffimen, manna.*
Velabrum veneror votorum hoc munere patrem,
Mustidum, et investem, florenti pectore Brumum:
Crinitae Veneris, numenque illustre virarum,
Qui numen lucos virides pede persultanti
Pervolgas cum vesanis' vesanu' virabus.
Quin et consilio Iovis ad Proserpinam alumnus
Actus crevisti, tremor immortalibu' Divis;
Sis felix, et macte fuas hoc munere sacro.

46 *Columellae seu Telamonis Patris suffimen, aromata.*
Elicio Brumum Columellam, vitisatorem,
Aedibu' Cadmaeis, qui circum perque vagatus
Subiit onus constanter, terrae incendia placans;
Cum vaga inundarent flammarum flumina terram
Turbinibus calidis, hic cuncta ruentia fulsit.
Huc adsis mentis ridenti Brume lepore.

47 *Sabi Patris suffimen, aromata.*
Dic Sabe omnipotens, audi Saturnia proles,
Qui Brumum Bacchum streperum, insubulum, inseruisti
In femore, ut qui postidea maturus adiret
In Tmolum sanctum, ubi habebat Equiria polchra.
Quare o Rex Frugias, procerum coeli induperator,
Mitis ades, antistitibus solatia praestans.

Divae Equiriae suffimen, sturaca. 48

Te Brumi assa obtestor Equiria, Dia Camilla,
Quae Sangi celebras elementa arcana Sabini, et
Flammicrepos coetus et sacra trinoctia Brumi,
Obtestor ted alma parens Summana virago,
Sive Idae in Frugia pervolgas culmina casta,
Concelebras seu Ludorum iuga sancta Timoli,
Accessis ad sacra benigno lumine volti.

Liberi Praeliganei carmen. 49

Huc Iovis o proles, praelarie, Brume bimater,
Sanguen honoratum, celebris, sanctissime Liber,
Arcanum germen Divorum, iubile Brume,
Augens frugiferentia adultaque pignora terrae,
Torcule, magnanime atque asper, Vortumne, Liburne,
Mustula mortalis secli, medicina, sacer flos,
Cura hominum iucunda, Tages, cincinnicapille,
Liber, cerrite, omnium amicule, Iubile, Brume,
Quis tu cumque faves hominum apparesve Deorum,
Nobis frugiferum et iucundum te volo adesse.

Divarum Virarum suffimen, aromata. 50

Numina clara Virae, Oceani praestanti' propago,
Quae liquidas colitis sub terrae anfractibus aedes,
Assae furtivagae Brumi, laetaeque penates,
Consivae, florae, errantes obstita viarum,
Antricolae, specuum cives, atque aerivolgae,
Fontanae, errones, rorantes, alipedesque,
Visae atque invisae, sertis Valloniae amictae,
Montibu' cum Fauno in summis Saliae fatuantes,
Petreiae, scatebrae, Sylvanae, flexanimaeque,
Pupulae odorae, albatae, halantes suavibus auris,
Oipiliae, Caprotinaeque, volupque ferarum,
Succineae, tenerae, nutrices, augmina rerum,
Pusae, querquetulae, ludicrae, caerulivolgae,
Nyseiae, fatuae, Meditrinae, Veris amicae:
Cum Cerere et Brumo mortalibus optimae adeste.

Hucce dicis caussa advenientes numine amico
Mitibu' temperiis futantes sana fluenta.

51 *Triennalis Patris suffimen, aromata.*
Huc adsis Liber, Lucumo, celeberrime Die,
Torcule, Taurifrons, sate fulmine, Nysie, Faune,
Matris alumne, sacrûm pater, ignivome, et Velabre,
Consentis, nocturne, geriferule, et tutulate,
Arcane atque indicte Iovis stirps, Virtrius idem:
Primigena, ** atque Deûm pater et stirps.
Baiule, sceptrigerens, Saliorumque histrio praesul,
Foemineo stimulans divina triennia coetu.
Terricrepe atque Tages, Lucetiu', pulle bimater,
Solemnis, cornute, Iugatine, hinnulivestis:
Insinue, Iuturne, racemifer, auriquiriti,
Virginee, studiose ederarum, vinule Liber,
Flaminibus faveas, gratissime, floribus augens.

52 *Anniversarii suffimen, omnia praeter tus.*
Elicio prece te solemnis Tellumo Liber,
Cum teneris blande simul expergite virabus:
Qui numero sopitus ad atria Liberae Avernae,
Puri consopis augusta triennia sacri.
Atque idem simulac cis festa triennia rursus,
Dulce cies cum cinctutis nutricibu' carmen,
Vagitu vegetans coetus vortentibus annis.
Ergo hoc frugivirens, here, corniger, optime, frugi,
Pandiculare sacrum visas, sed lumine laeto,
Percoquibus sacris, aeternis frugibu' mactus.

53 *Silvani, Incubi, Brumarum suffimen, manna.*
Audi me Brumi bone nutricator et altor,
Inque statis sacris non ultima cura Deorum,
Magnaque cura hominum, celeberrime Sylvanorum,
Hircipile, et sacrae pompai praesul honeste:
Pervigil, atque tuis iuvenescens, iubile, Faunis:
Brumarum cinctarum ederis, praetorque virorum,

Semiferis sociis ad pandicularia sacra
Dux, ades, expergefaciens vitulamina alumni,
Cum Brumabu' tuis comitans bene rite patrata,
Haec nocturna sacra, allucens comitia sancta,
Iubile, thyrsigerens, coetu florente serescens.

Divae Veneris Volupiae carmen. 54

Caeligena, illustris, ridens, arguta Venustas,
Spumigena o genitrix, pernoctatrix veneranda,
Coniugula et nocturna, et vis cata mater amicae;
Omnia nam ex te, tu invexisti foedera mundi:
Et trium iura tenes Mortarum, cuncta genisque
Omni modis, coeli et terrai frugiferai,
Et salsi mundi, praeses sanctissima Brumi,
Concelebrans epulas, o pronuba, mater amorum,
Suada, et strativola arcana, et sali' conciliatrix,
Visa, invisa, comas pulcherrima, patrima Dia,
Sponsalis, conviva, Deûm Maiesta, Luperca,
Prolifica et Vituna, virosa, Lubentia mater.
Quaeque arctas homines compagibus illecebrarum,
Et genus omne animantum aeterno volnere amoris;
Adsis caprigenum sanguen, sive atria Coeli
Dia premis, ridens regina micante labello,
Turiferae Surias seu lustras templa beata,
Sive in aequoribus campi splendentibu' bigis
Propter habens augusta Melonis flumina opimi,
Vel si littoribus pullis, prope marmora ponti
Coelituum gaudes Diva exultantibu' turbis,
Aut etiam tremulis pusis in gramine terrae
Littoreos ad pulvinos cum praepete curru,
Sive in Cupro matre tua, ubi rite novellae
Te puerae innuptae, et nuptae, formosa quotannis
Concelebrant regina atque indigetem Deum Adonem.
Huc adsis compos spectandi, Diva leporis,
Nam pura te mente colo precibusque pudicis.

55 *Adonidis suffimen, aromata.*
Te vario obtestor sub nomine Die Camille,
Mollicomans, et vasticola, atque leporibus augens,
Conse Deus, Volturne, alimentum nobile rerum,
Pusa, puer, cunctis viridescens semper Adonis,
Occase, et redivive statis vortentibus annis,
Semper adulte, bicornis, amabili', lacrumiculte,
Polcher, venatu gaudens, promissicapille,
Vinule, corculum amenae Divae, germen amoris,
Quem bona polchricomans Proserpina Dia parivit,
Omnimodis qui nunc habitat per tartara furva;
Te rursum caelo reddens tempestaque membra,
Huc sis flaminibus deducens germina terrae.

56 *Mercurii Tellumonis Summani suffimen, sturacem.*
Qui colis Amsanctum et viam inexorabilem Averni,
Pallentesque animas sub tristia tartara mittis
Tellumo, lascivi patri' Liberi alumna propago,
Atque Venustatis Divai, Murtiae amenae,
Qui per Larundae sacraria sancta vagaris,
Aegrorum Lemurum sub terra, accense viator,
Ducens cum stetit illa dies qua Morta profata est;
Sagminea rude Die soporifer omnia mulcens,
Lumina item fallace natantia morte resignans.
(Hoc tibi nam Larunda dedit praetura in Averna,
Manibus aeternis mortalium iter comitari)
Flaminibus tandem da faustum in rebu' laborem.

57 *Cupidinis suffimen, aromata.*
Magne voco te purime, amabili', blande Cupido,
Arcitenens, ales puer, ignivage, impete velox,
Ludens cum Divis et cum mortalibu' seclis,
Caute, gemelle puer, qui cunctorum aedituus es,
Coelei atque Covi, et terrae, et Maris omnigenae, et quae
Nutricatur alens spirantia frugiparens Ops.
Quaeque et Avernus ager genit, et mare marmore flavo:
Nam cunctorum horum solus moderari' guberna;

Sacrificis adsis o pura mente ministris,
Avertens illegitimae cuppedinis aestus.

Mortarum Carmentum seu Parcarum suffimen, aromata. 58
Mortae infinitae, nigrantis nocti' propages,
Vos precor o celebres, quae sub coeleste palude
Qua canus liquor induferi de fonte lavacri
Labitur aeterni specuis sub pumice opaco,
Cives pervolgatis alumna animantia terrae,
Inde loci ad ventosum hominum seclum; leve, hians
Pergiti', carbaseis obstantes lumina velis, [spes,
Fatali in campo, ut bigas levis aurigatur
Gloria iustitiae ad metas, speique et curarum,
Et legem casci, magni, laudabili' regni.
Tantum Morta est vitai prima, haud alis ullus
Divûm qui pedibus polsant coenacula coeli,
Et Iovi' cortumio est. etenim quae cuncta manent nos,
Tantum Morta, Iovisque aeterni daedala mens scit.
Nocturnae, mitissima pectora, numina amica,
Atropeque, et Lachesi, et Clotona, o patrimae adeste,
Aeriae, invisae, tetricae, irrequietae Divae:
Omnia item mortalibu' quae datis, omnia fertis.
O mea, Mortae, audite lubenter liba precesque,
Nubila tergentes mordacibu' pectora curis.

Gratiarum seu Venustatum suffimen, sturacem. 59
Adsitis celebres illustres Gratiae, honorae,
Progenies Iovis alma, Paludaeque Egeriai,
Maiesta et Flora, et Vitula, augustissima virgo,
Laetitiae matres, lepidae, purae, vitulantes,
Volturnae, semper virides, mortalibu' gratae,
Votitae puerae, Vortumnae, coesiae, amoenae,
Assiduae ventate volentes fausta Camillis.

Divae Nemesis Graecanicae (Latine Vorticordiae) 60
carmen.
Te voco te Nemesis victrix Dea, magna Camilla,

Omnituens, hominum scrutans mortalia corda,
Aeterna et veneranda, colens sola aurea iura,
Quae varios mutas humani pectori' fluctus,
Quam agnoscunt iuste haerentes compagibus omnes.
Nam nosti interiora animorum; haud te lateat mens
Detrectans rationi' iugum, cuppedine iniqua.
Cuncta tueris, cuncta audis, cuncta admoderaris:
In te stant mortalia iura, potissima Dia;
Adsis praestitibus puri sacri auxiliatrix,
Da placidas rationis opes, cohibens inimica
Consilia, insidiantia, iniqua, superba, nefasta.

61 *Divae Iustitiae suffimen, tus.*
Iustitiae obtestor pulchrae omnituentis ocellum,
Ad Iovi' Dictatori' sedet quae illustre tribunal,
Coelitus endotuens mores mortalium homonum,
Atque ultrix plectens humana nefantia facta,
Ex aequo veri coniungens disparile omne.
Nam quaecunque viris sententia pessima suasit,
Consiliis diris infanda volentibu' quaeque,
Sola iugum imponens iniustis iura ministris,
Iniustorum hostis, Sanatum mitis amica.
Verum adsis semper fausto Dea numine iusta,
Vitai ut veniat finis, quam Morta profata est.

62 *Divae Aequitatis suffimen, tus.*
O bona cura hominum, locuples, iustissima virgo,
Semper amans homines aequalia iura colentes,
O veneranda, beata Dea, o Iuritis honora,
Puris iudiciis dispensans optima iura,
Nec mentem labefacta. etenim cunctos labefactas
Qui tua non subiere boni iuga, sed magis ipsa
Indomiti, horrifice declinant verbera flagri.
Concors, omnibus aequa, venusta, dicacula, amica,
Munia pacis amans, certae cupidissima vitae.
Nam plus deteriusque odisti, et diligis aequum.
In te habet virtus, in te sapientia finem.

Adsis Dia, hominum frangens audacia facta,
Ut semper iustam aequa ferant vestigia vitam,
Omnium qui terrae vescuntur munere opimo,
Atque animantum aliûm, quaeque educat omniparenti
Alma sinu tellus, et quae maris aequoreus Dis.

Legis carmen. 63

Coeligenûm atque hominum genium te Diva voco Lex,
Coelestem, astrificem, rerum commune sigillum;
Terrai, aequorei sali', naturaeque statumen.
Concors et constans servans bene legibus aptum,
Quîs tu is componens coeli immortalia iura,
Et quati' sublestam invidiam vortigini' ritu:
Qui bona das vitae mortalibu' munia obire.
Sola etenim moderare animantum cuncta guberna,
Consiliis cernens observantissima rectis:
Casca, experta, comes iustis innoxia semper,
Iniustosque labefaciens ingentibu' noxis.
Sed veneranda opulentifer omnium amoena voluptas,
Fac tui nos memores, aspirans nomen amicum.

Mavortis suffimen, tus. 64

Magnanime, impavide, invicte atque asperrime Mavors,
Indomite, armipotens, parricida, impetimure,
Marspiter, o crepericrepe, tabo et sanguine stillans,
Sanguinis humani sitiens bellicrepe, torve,
Ensibus, atque inamoena colens certamina runis:
Siste duellum, et cordolios requiesce tumultus,
Inque Venustatis divae, et Brumi otia dia,
Et munus Cereale duelli confer amorem;
Semper pacem optans, victum et re cope vigentem.

Volcani suffimen, libanomanna. 65

Volcane omnipotens, fortissime, flammaque perpes,
Ignitis florens auris, Lucetiu' dius,
Lucerius, Viriate, Nero aeterne, artipotensque
Ferrifaber, purumque elementum, portio mundi,

Omnivore, omnidomans, superans omnia, omnia lu-
Sol et Luna, covum, stellae, fons purimus ignis, [strans,
Membra haec Volcani mortalibus ignea lucent.
Omnes inducolis gentesque urbesque domosque,
Artubus insinuans mortalibus, alme, beate;
Sis felix, atque haec nostra ad libamina cede:
Ut placidus venias operum bonus auxiliator,
Atque implacatae extinxis incendia flammae,
Fomitis in nobis servans genitabile lumen.

66 *Aesculapii suffimen, manna.*
Cunctorum Aesclapi Iuturne, salutifer, alme,
Morborum omnigenûm mulcens contagia iniqua,
Mulciber excellens, ades huc comitatu' salute,
Mortiferae cohibens incendia pestilitatis;
Vesticipor, Verrunce, rei largitor opimae,
Februi Apollineris viridans et honora propago,
Morbi perduellis, coniuxque salutis amoenae;
Huc o sospes ades, aevi dans prospera fata.

67 *Divae Saluti Meditrinae suffimen, manna.*
O foecunda salus, et amabilis omnibu' regnans,
Huc adsis Meditrina opulentifer, omniparensque,
Pestilitas ex te omnis abit mortalibus aegris,
Cuncta lepore tuo viridant vitulantia tecta,
Daedalaque ars; te Mundu[illegible] cupit perculsu' tua vi.
Tantum odit te Dis vi[illegible]ssima finis,
O cupiunda, veges, sol[illegible]men amabile rerum,
Te sine nulla seni usurpanda in fine senectae
Gratia: sola omnes captas, sola omnibu' regnas.
Sed tu blanda tuis praesto adsis diva Camillis,
Avertens pestes morborumque agmina amara.

68 *Manarum Diarum suffimen, aromata.*
Vos calo vociferae Divae, horrendae, fatuantes,
Alectona et Tisiphona, et veneranda Megaera:
Noctivagae, induferae, summana silenta colentes,

Ad vada sanguinei Amsancti atque obnubila templa
Undique ventantes humana piacula propter,
Vesanae atque petulcae, flagrorum agmine ovantes,
Angitiae, ultrices, rigidaeque, atque hispidivestes,
Terribiles, Orci gnatae, Vortumnifigurae,
Aeriae, invisae, leviores praepete mente.
Nam neque vel citimi Solis Lunaeque labores,
Nec virtus sapientipotens nec amoena venustas
Artificum, aetatis nitidae nec adulta iuventas,
Invitis vobis agitarint gaudia laeta.
Semper at in terris hominum mortalia secla
Iustitia regitis reddentes aurea iura.
Sed Divae Mortae, serpenticomae, Volturnae,
Vos placatum animum meliori reddite menti.

Manarum Tenirarum suffimen, aromata. 69

Consentes Manae celebrabile numen habentes,
Huc castae indufero prognatae Diiove pusae,
Pusae Tartareae Iunonis alumna propages,
Humanae quae censet iniqua piacula gentis,
Ultrices scelerum, excubiis vigiles inhiantes,
Atricutes, scintillantes grave fulgur ocellis,
Sacros carnificisque micantes luminis ignes,
Reginae, aeternae, postvertae, terriculaeque,
Tortores stimulo fatorum iura tenentes,
Nocturnae pusae, volt[illegible]sae, crinicolubres,
Vos veneror, vos ment[illegible]a adventassere amicas.

Divae Larundae Mostellariae suffimen, aromata. 70

Te veneror summana Lemuria, virgo paluda,
Quam prope Avernales fluxus veneranda parivit
Arcano commista Iovi Proserpina amore.
Et quoi concubuit Dis fraude, cupidinis aestu
Calvitus, traxitque bimembrem matri' colorem.
Quae genus humanum furiat larvalibus umbris,
Omnifera specie commutans horrida volta;
Nunc clara apparens, nunc fuscans nocte figuram.

Occursu horrifero pervolgans noctis opaca,
Sed sub te placo Regina nigrantis Averni,
Montivagos stimulos protela ad extima terrae,
Flaminibus facii ostentans placabile numen.

71 *Fortis Fortunae suffimen, tus.*

Huc sis Fors Fortuna, sacris Regina voco te
Mansuetam, Triviamque, rei praedivitis ergo,
Et Deianam antistitam, opaci sanguine Consi
Progenitam, aeternumque invicta laude cluentem:
Atque Libentinam, perbitentem, omnibu' cautam.
Daedala namque in te opulentia constat homonum.
Namque aliis copum das rerum pleraque abunde,
Paupertatem aliis, irarum percita fastu.
Verum, o Diva, domi te obsecro Favoniam adesse,
Gliscentem re cope, rei praedivitis ergo.

72 *Genii suffimen, tus.*

Magnanimum Genium calo, praetorem venerandum,
Mansuetumque Iovem, auctorem genitabilis aurae,
Diiovem, ubique vagantem, et Vaeiovem imperitantem:
Qui largiris opes, ut inisti tecta cachinnans,
Et contra humanae extinguis qui commoda vitae.
Laetitiae, moerori', Patulciu', Clusius idem es.
Quare Sange pater, curarum semina pellens,
Insidiantia vitae, in terra frugiferenti,
Da precor aequanimo vitam concludere fine.

73 *Divae Albuneae suffimen, aromata.*

Albuneam elicio prognatam principe Cadmo,
Magnam, quae Brumum est obstetricata nefrendem:
Huc ades o quae salsa tenes et caerula templa,
Fluctibus exultans, nautarum sospita Iuno;
Nam te respiciunt puppes per caeca pericla;
Una laborantem solaris in aequore volgum;
Quis tu subveniens ades in discrimine sospes.
Ergo salutaris praesens urgentibus adsis

Rebus, velivolas observans candida puppes;
Atque tuis largire, Favonia, flabra ministris.

Portumni suffimen, manna. 74

Qui suxisti una cum Brumo lacte novellum,
Quique colis liquidos et ovantes turbine campos,
O Portumne lubenter ad haec te liba vocamus;
Fronte renidentem et ridenti lumine volti,
Servantemque tuos terraque marique ministros.
Namque vagis ratibus sub tempestate sonora
Sospes ades, et te cupidis mortalibus offers
Avertens saevas iras per caerula ponti.

Divarum Camenarum suffimen, tus. 75

Mammuriae atque Iovis streperi prognata propages,
Illustres celebresque Novensidesque Camenae:
Et quoivis, quemcunque fovetis amabile volgus,
Artitas omnes virtutes progenerantes,
Nutrices animi, directae mentis amussis,
Atque magistrae animi moderantes recta guberna.
Quaeque sacris homines imbûtos instituistis:
Flora, Cluacina, et Vitula, et Casmena virago,
Caeliaque, et Tripuda, et Carmenta, et diva Venustas.
Oscina, flexanima, et mater Maiestaque princeps.
Ergo Deae huc age praestitibus ventate faventes,
Vobiscum decus omnipotens et adoream agentes.

Divae Mammuriae suffimen, tus. 76

Mammuriam elicio Iovis omnipotenti' maritam,
Quaeque pias est du[l]ciloquasque enixa Camenas,
Pestifera, versata caducae oblivia mentis,
Continuans mentes animarum foedere sacro,
Reginae omniparae rationis amica, fovens vim,
Pervigil, irrequies, memoranter cuncta ministrans,
Quorum quisque simul in pectore ruminat artem,
Nec quid praeteriens instigans lumina mentis.
Praestitibus memores mentes da dia Moneta

Sacrati castus, pellens oblivia ab illis.

77 *Divae Matutae suffimen, manna.*

Cede Dea, aurigans candens mortalibu' lumen,
Clara, pudoricolor, mundo Matuta refulgens,
Aurea magnanimi Titani nuntia Solis:
Horriferae quae itiner anfractaque noctis opaca
Diva tuo revocas initu sub viscera terrae:
Dux operum, vitae mortalibu' Dia ministra;
Quaque hominum gaudent aegerrima secla, nec ullus
Quem fugisse tuos fas sit polcerrima voltus,
Quando genis exterges otium amabile somni.
Tunc gaudent homines, serpentes, cetera secla,
Quadrupedum, et volucrum, et stabulantum in fluctibu' salsis.
Namque omnem excultum donas mortalibu' victum.
Sed tu Dia antistitibus sacrum iubar auge.

78 *Divae Iuritis suffimen, tus.*

Caeligena huc Iuritis ades patrima virago,
Mustea progenies telluris, Caesia dia,
Vaticinas quae prima aperis mortalibu' sortes
Delphorum Diis pro cortina oracula fatans;
Puticulis ubi Puteolis regina cluebas:
Et Februo fandi donasti pectus habere:
Augusta, speciosa, verendaque, noctuvolga:
Prima etenim ritus hominum genus edocuisti,
Nocturnis sacris Brumum fanatica ovando.
Ex te enim castusque Deûm cultusque verendi.
Huc adsis, huc, Diva, faventi numine blanda,
Ad divina tui veneranda silentia sacri.

79 *Aquilonis suffimen, tus.*

Horriferis flabris contorquens aequora coeli,
Huc Aquilo glaciali', relinquens ninguida Thracae:
Solve Covi subices, nigrantes nubibu' totis,
Flamine discutiens praegnantes imbribu' nubes,

Omnia suda ferens, tergens freta vitrea coeli.

Favonii suffimen, tus. 80

Caelivaga, undigena flabella, Favoniae aurae,
O levisomne animae solamen mite laborum,
Vernae, gramineae, portuum cupidissima cura,
Navibu' sternentes itiner molle aera blandum;
Obsecro vos placido spirantes flamine adeste,
Aeriae, invisae, levipennes, aeriformes.

Austri suffimen, tus. 81

Praecipites aurae, tranantes aeri' caulas,
Undique pennipedes, vortigine praepete ovantes,
Cedite nimborum matres cum ingentibu' nimbis.
Nam Iovis has vobis finivit in aere partes,
Caelitus imbriparas nubes permittere ad ima.
Vos precor inferio hoc mactans libamine Divae,
Terrae matri frugiparentes elicere imbres.

Oceani suffimen, aromata. 82

Te veneror pater Oceane, immortalis origo,
Naturaeque Deûm aeternae, et mortalium homonum,
Qui circunfluis anfracta ambarvalia terrae,
Unde genus fluviorum, unde et salimarmoris undae
Atque alid in terra scatebrarum ignobile volgus,
Te Februum lustrale vocamus Caeligenarum,
Finis telluris, margo amplae fornici' mundi,
Huc placidus venias sacrae gratissime turbae.

Vestae suffimen, aromata. 83

Incluta Vesta, senis Saturni casta propago,
Quae nimis irrequietis habes meditullia flammae,
Hosce tibi puros praestes ad sacra ministros,
Florentes, dites, castosque, et pectore puro.
Huc ades o Divûm constans fulmentum hominumque.
Multipotens, aeterna, et amabilis, atque opiformis,
Ridens atque beata, fave placidissima sacris,

Fausta bona inspirans, et amaenae dona salutis.

84 *Somni suffimen, cum papavere.*
Somne pater, Divum omnigenum unicus atque hominum
Et quaecunque fovet tellus animantia secla: [rex,
Omnibus unus enim regnas atque omnibus adstas,
Corporaque insidiator inermi compede vincis:
Curarum domitor, requies praeblanda laborum,
Maerores omnes aegro de pectore tergens.
Qui mortis curas abigis animasque reservas:
Nam vere mortis germanus es atque veterni.
Sed sub te placo miti adventare favore,
Servantem placidi nos sacrum ritum obeuntes.

85 *Somnii suffimen, aromata.*
Obsecro te, princeps, celerem pernicibus alis,
Nuncius incerti, verax Carmentus homonum,
Nam repens tacitus per amica silentia somni,
Insinuansque animis hominum cis intima mentis,
Et scita ad somnos legas decreta deorum,
Significans tacitus tacitis animabu' futura,
Cum quis rite colit divos in pectore puro.
Semper ut anticipans spem blandam mente sagaci,
Vitam hominum illecebris prolectes, gaudia hiantum,
Utque homines animum requiescant tristibu' curis,
Suppliciisque deos ex sacro munere placent.
Namque piis semper stat dulcior exita finis,
Tantum celavit venientia fata nefastos
Somnigena species, certissima nuntia damni.
Ne qua foret noxae venientis cognita finis.
Clinia sed te sancte precor, praemonstra Deorum
Notifices, semperque offendens pectora pura,
Nunquam prodigiis acclarans omina iniqua.

86 *Mortis suffimen, manna.*
Huc adsis, quae hominum moliris cuncta guberna,
Tantum producens aevi quantum eminus distas.

Namque tuo extinguis corpus animamque sopore,
Quando perrumpis naturae vivida claustra,
Caeca hominum signans aeterno lumina somno.
Omnibu' communis, aliis iniuria partim,
Florentes stinguens aetates funere acerbo.
Omnia nam concreta in te sola absolüuntur:
Nam neque suppliciis, neque votis pectora frangis.
Quare o sancta veni, longo post tempore vitae,
Quod te suppliciis et votis obtestamur,
Ut felicem habeant homines claramque senectam.

Vertebat Ios. Scal. intra quinque dierum spatium.

Eiusdem Ios. Scal. annotationes in Hymnos praecedentes.

Hic liber non proprie sunt ὕμνοι, *sed* τελεταί. *nam in Hymnis natalia, gesta, et eiusmodi narrantur: hic vero tantum invocationes Deorum, quibus utebantur in mysteriis ii, qui sacris cuiuspiam Dei initiarentur: Sunt etiam ad depellenda mala adiecti. Quae omnia tamen fiunt cognominibus mysticis. Sed Graeci in hoc prorsus sunt. Latine quidem* Initia *inscribi potest, ut respondeat Graeco verbo* τελεταί: *sed quia totum cognominibus Deorum constat, melius inscribitur* Indigitamenta. *Veteres enim Latini, quos Graeci vocant* ὕμνους, *ipsi nominant* Assamenta, *quae scilicet separatim in aliquem Deum canuntur, in quibus gesta et virtutes eius Dei celebrarunt, ut alibi fusius diximus. At* Indigitamenta *vocarunt, in quibus Deorum cognomina paria essent. Eorum Graeci duo genera fecerunt: nam* κλητοὺς ὕμνους *vocarunt auxiliarum et faventium Deorum,* ἀποτροπαίους *autem nocentium, quae vocat Virgilius* laeva numina. *Horum primum ex vetere lingua Latina* Calatorium carmen; *alterum,* Averruncale *vocare possumus. Quare, ut dixi, quia omnia Latine reddere volumus, tametsi titulus Graecae inscriptioni* ὕμνων *non respondet, tamen* Indigitamenta *inscripsimus. Dictum autem* indigitare *pro* indicitare, *hoc est vocare. Nam* citatam plebem *dicebant, quae in iudicium vocata esset. Sic apud Varronem De lingua Latina* quod pecus incitatum antiquum oppidum exigebant; *legendum potius,* inducitatum: *quod est non Varronis, sed cuiusdam veteris poetae* ἀκροτελεύτιον. *Et* citare *notum quid sit in forensibus et iudicialibus caussis, et* citatum instrumentum *nuncupatum. Ergo* indicitare, *quod erat* incitare, *et* indigitare *idem; ut* subicitare *et* subagitare *in Casina Plauti: ut* inicere *in Varrone pro* inigere. *Tanta*

est cognatio inter C, et G. Sic ingens *ex* incens, *quod scilicet censeri non potest nec aestimari. Sic apud Varronem, citante Nonio*, quia ad amussim diu gens non erat: *lege* Duigens. *quod est* Diucensus *apud Festum, et vetus Glossarium Sancti Germani.*

Tenirae *sunt Deae, quas Festus ait a* Tenuira *ita vocatas. Ita Furias nominavimus. Sed veteres puto dixisse* Tesniras, *ut* Cesnas, *et* Pesnas, *et pleraque eiusmodi. Itaque* Tesnirae *erunt* τισάνειραι, *quae homines puniunt.*

16 Telamo *seu* Tellumo, *idem est. Quos Graeci* ἄτλαντας παρὰ τὸ τλῆναι *vocarunt, eos Latini* Telamones. *Sed ut* τελαμὼν *Graecum* παρὰ τὸ τλᾷν, *ita et* Tellamo *apud Varronem, citante Augustino, quamvis ex Tellure deductum, quasi* χθονὸς θεὸς, *tamen est idem ipsum, et eandem originem habet: Nam et* Tellus *ipsa sive* Tellumo παρὰ τὸ τλᾷν. *vel ut vetussimi Graeci* τελάω. *unde* telo *Latinorum, quod posteris dictum* Tollo: *E, in O ut* Elera, olera: hemonem, homonem; *etc. et geminata consonante. nam veteres non geminabant consonantes. Quin et ipsum Graecorum antiquum* τελάω, *peregrinum est; est enim, ut infinita alia, ex Syriaca lingua. nam in ea* Tal *est* τλᾷν, *ut* ἔρα *Syriaco* era, *Arabes et Hebraei* Erd. *quo nomine omnes pene ita vocant.*

2 Ambarvalis Neptunus *quod ambiat arva.*

3 Empanda *pro Cerere. Varro apud Augustinum, et Festus.*

4 Dis *ex Graeco* δεὺς *pro* ζεύς. *unde patrius casus* διός. *Unde* Diiovis *apud Varronem. postea* D *periit, ut* Dianus, Ianus. *unde* Diana *mansit* παρὰ τὸ δῖον. *Nos in* Iove, *ut etiam in multis aliis, communem opinionem secuti sumus a* Iuvando.

4 Februus, *est a Graeco* φοιβάζειν. φοίβερος. *Ita igitur Phoebum vertimus.*

6 Nerienes, *Mavortis cognomen. Sabinum vocabulum,* παρὰ τὸ νεῦρα. *Aliquando videtur significare Deam comitem Martis. Itaque putamus nihil esse quam* νηρεῖδα *vel* νερείνην. *Nerine Galatea.*

7 Parunda. *Varro apud Augustinum, Graeci* εἰλίθυιαν *vocant* παρὰ τὴν ἔλευσιν. *quod facile accedat iuvandis puerperis, vel quod facile viam det partui, hoc ad verbum esset Latine* Venilia, *quae est a veniendo, ut ait Varro: sed alia est Dea. Nos non respicimus potestates eorum numinum, sed nomina tantum. Invocabant et* Nummeriam Deam, *ut ait Varro De liberis educandis, quod* numero *pro* ταχέως *dicunt. itaque* τὴν ὠκύτοκον Nummeriam *vertimus.*

8 Virae *sunt nymphae, ut alibi ex Festo diximus, quasi* χλωρίδες. Querquetulae δρυάδες.

9 Mammuria *est* μνημοσύνη. *Mammurius Veturius, seu Mammuria Veturia. Vide Varronem.*

Carmentus *est vetus Menuria, ut vult Varro.*

10 Novensiles Camoenae. *Dii Novensiles, vel, Novensides, sunt novem dii una sedentes: a quo nomen habent apud Sabinos. Quinam sint illi, vide diversas opiniones, quas ex veteribus scriptoribus adducit eruditissimus auctor Arnobius. Novensiles Camoenae nihil aliud sunt quam* ἐννέα μοῦσαι.

Mustea Venus. *Vide Varronem.*

11 Lucumones *apud Festum videntur esse Genii infestantes loca ad quae veniunt, quod proprium est Larium. Sed alibi diximus Lucumones nihil aliud esse quam* λυκάονας.

12 Grundulii et Grundules, *Larium cognomentum omnibus impositum. Vide Cassii Heminae locum apud Diomedem.*

14 Cortumio *est visus intimus.* Cortumio Iuris *dicimus* ὀφθαλμός.

13 Iuritis ἡ θέμις. *Gellius: quamquam apud Gellium legi poterat* Quiritis; *Id est* λογγᾶτις θεὰ *Lycophroni.*

15 Fasta Dea, θέμις. Fas θέμις. *Nam* Fasti dies, *quibus Themidi fieri solet.*

17 Mulciberi. *Ita* μειλιχίους θεοὺς *vertimus. Nam Mulciber a mulcendo. Sed id cognomen praecipue Vulcano attributum, quia igni ferrum mulcetur. sic quod igni domitum est Homerus vocat* μειλισσόμενον, *et alibi dicit* πυρὶ μαλασσέμεν.

18 Moneta *est* πρόνοια, *a monendo dicta.*

19 Manii Genii ἀγαθοὶ δαίμονες.

20 Inui κακοί. *nam* Inuus ὁ ἐφιάλτης *Servio.*

21 Brumus *est* βρόμιος, *et Brumalia eius festa, et Bruma* αἱ χειμεριναὶ τροπαὶ, *quia circiter id temporis incidebant Bacchanalia.*

22 Graeca Nemesis. *Graecam vocamus, quia non habet nomen Latinum, ut ait Plinius. tamen nihil aliud est* Nemesis, *quam* Vorticordia. *Sed et* Venus Vorticordia *celebratur Romanis.*

23 Moesius et Maius *idem, id est,* ὁ μείζων, ὁ παλαιός. *Vide Coniectanea nostra in Varronem.*

24 Paluda *est* ἑλκεσίπεπλος. *Varro ex Ennio:*

Corpore Tartarino prognata Paluda virago.

Sed in Probo legitur palude: *ut intelligatur et Minerva nata ex palude.*

Paginis his vacantibus, sequentes Notulas addidimus.

8, 12 ἐς λοχούρη] *Delendum. Nam mutilus plane versus. Aut enim ex superiori* πάνσοφε χούρη *repetitum, aut* es locura *ab Hispano quodam additum, innuere volente, stultum esse*

supplere velle locum qui tot iam ante seculis mutilus fuerit. 6, 2 ἀγοὺς] ἀγνοὺς. 7, 6 ῥοιζωτὴρ] *al.* ῥοιζήτωρ. 18, 17 προκάλυμμα βάλλεις] *Henricus Stephanus versum hunc ita restituendum putat*: Οὐράνιον βάλλεις προκάλυμμ' ἀργῆτα κεραυνόν. 35, 11 ἐοῦσα] ἔχουσα. 46, 4 ἐνίκησε] ἐκίνησε. 62, 7 Πλάστιγξι] Μάστιξι.

Qui plagularum corrigendarum onus in me suscepi, . testor loca in hoc volumine aliquot inveniri desperata et quae nisi Scaligeri manu inspecta non videantur sanari posse. His igitur medebuntur qui se posse confident. Quod si interdum antiquo usu valere iusso eam quam nunc sequimur scribendi consuetudinem intulisse deprehensus ero, spero fore ut ab iis excuser qui mea cura effectum esse meminerint, ut non modo commode legi liber possit antea sordibus Raphelengii squalens, sed omnino ut legi possit qui vix inveniebatur.


Propria:

Graece reddita:

Latine reddita:

Berolini, typis J. F. Starckii.


UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 02535 9962


GL